


D. J. RONCONIUS.

DE SERO LACTIS.







D. Ioannis Ronconij

DE MVTILIANA FLORENTINI.

SERENISSIMAE

MARIÆ MAGDALENÆ

Austriacæ Magnæ Ducis,

Necnon

SERENISSIMORVM


HETRVRIÆ PRINCIPVM

Medici Physici.

Tractatus Medico Phylosophicus

DE SERI LACTIS

natura, vsu, & preparatione.



FLORENTIAE, Typis Francisci Honofrij. 1631

Ad Scalas Abbatię. Superiorum permissu.

SERENISS. MARIÆ MAGDALENAE Austriacæ MAGNÆ DVCI HETRVRIÆ Lumini fulgentissimo.

Humillimus, deditissimusq; seruus, ac eius Medicus Physicus,

Ioannes Ronconius de Mutiliana Florentinus à D.O.M. S.O.



ERENISSIMA Celsitudo vestra Cæsarem fratrem inuisura, Germaniã petere properat, iubetq; vt & ego seruitio addictus, quam primum iter sumam, ecce, quod præsto sum, nam iussa vestra honore, decore, voluptateq;

afficiunt. Interim hoc opuſculum, quod. per paucis ab hinc diebus, compilare animus erat, licet non integrè abſolutum, tamen depromere auſim. quare erit, cur Celſitudinem veſtram humillimè rogitem, vt iubare ab Auguſtiſsima ſerenitate veſtra emicante, rigoroſi Cenſoris oculos, non minus quam ſolem incautè intuentibus accidere aſſolet, caligare faciat; Dum verò ab omnipotenti Deo bonorũ omnium ſummum Sereniſs. Celſitudini veſtræ opto, & excepto, ita cunctos ab itinere reduces Florentiſsimæ patriæ reſtituere, ipſe ſua pietate, ac largitate dignetur ſupplex præcor, & ſpero. Florentiæ prid. Kal. Septembris 1631.

TRA-

TRACTATVS de ſero Lactis.

De Lactis natura. Caput I.



VLTAS in arte medendi ſuperſtitiones quotidie obſeruari ſatis cuiq; compertum eſſe poteſt, vbi prȩſertim de internis affectibus agens ſola nititur coniectura, quæ *Gal. lib. 1. de loc. affec. cap. 1.* inter exactá notitiam, & omnimodam ignorationem media quodammodo exiſtimatur. Secus autem idem Galenus, Hippocrates, cunctiq; Medicinæ Proceres crediderunt de ijs, quȩ euidentia, ſub externo ſenſu cadunt, quem nulla ratione relinquendum, Ariſtoteles lege ſancitum reliquit, rerum enim natura-

lium euentus, perpetuo cauſarum cognitionem nobis faciliorem reddunt, quibus adinuentis, ipſarumq; proprietatibus enucleatis veritas eluceſcit, vnde *Lucretius lib. 1.*

Inuenies primis ab ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, neq; ſenſus poſſe refelli,
Qui niſi ſint veri, ratio quoq; falſa erit omnis.

Hac igitur Methodo inixus, Sereniſs. Archidux, cũ animus mihi ſit veterum, ac probatorũ Medicorum pariterq; recentiorum opiniones de ſeri Lactis natura, & vſu exantlare, eorundemq; dicta aliqua ex parte deducere, ac transferre, *Platon. in Timęo* dogma ſequuturus, quid ſit id de quo agere velim breuiore oratione complectar, veritas enim ex Philoſophorum conſenſu in paucis bene intellectis conſiſtit; hæc autem vt eluceſcat, primò ſciendum, quod quemadmo-

admodum Animalia à nō Animalibus propter sensum ex *Arist. lib. de mort. & vit. cap. 1. placito* disterminantur, sic ope huius voluptatem, & oblectamentum afferentis, viuentia sanguine prædita substantiæ auctione, & conseruatione fruuntur, quod quidem opus nutritione tantum compleri posse ambigit nemo; hęc autem secundum *Fernel. lib. 3. de anim. facult. cap. 5.* est adiecti alimenti in corporis substantiam conuersio, & assimilatio.

Sed & *Platon. ni Timęo* suum sequutus *Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 3.* hunc scripsit in modum, cum omne quod augetur capiat alimentum necesse sit, alimentum autem omnibus ex humido, & sicco suppeditetur, quorum concoctio, & mutatio non nisi per caloris vim agitur, fit vt tam animalia

 omnia,

omnia, quam ſtirpes, etſi non alia ca
cauſa, tamen ob eam rem principiu
caloris naturaliter habeant, neceſſe ſi
idq; ipſum partibus ſit pluribus accō
modatum, quemadmodum cibi conſi
ciendi adminiſtrationes: prima enim
adminiſtratio perſpicua eſt, cū per o
parteſq; ore contentas perficiatur an
malibus, quorum cibus ſectionem de
ſideret, ſed hæc, *quicquid dicat Fernelius*,
nullius cauſa eſt concoctionis, ſed fa
cilitatem concoquendi potius præſta
cibi enim minutatim illa diuiſio facit
vt calor facilius conficiendo expedia
at ſuperior, & inferior venter iam cūm
calore naturali ſuo cōcoquendi officio
funguntur; Verum animalium genu
omne ferè, ſed apertè quæ incedunt
quaſi terram intra ſe continent ſinum
ventris, ex quo, vt jllæ radicibus, ita

hæc

hæc aliquo intercedente, cibum aſſumere debent, donec finem ſequentis concoctionis faciant, cibus enim ab oris officio ventri mandatur, hinc mẽbrum aliud capiat neceſſe eſt, & quidem natura ita conſtituit, venæ enim per totas lactes ad ventrem tendunt vſq; exorſæ inferius, venæ enim quaſi vaſa ſunt ſanguinis, ſanguis autem animalibus ſanguineis vltimum alimentum, audias modò *Galen. lib. 8. de Plac. Hipp. & Plat. cap. 4.* qui exquiſitum ſanguinem ex æquabili humorum creari dicit ſic *lib. de Plenit. cap. 1.* hic nihil omnino referre, ſi humores ſanguinem appelles, vt alicubi monſtraſſe affirmat, nam impermixtus nuſquam in venis habetur, *Idem lib. 6. de morb. vulg. com. 4. tex. 29.* hunc eſſe ſtatuit omnem in vaſculis incluſum ſuccum, in

quo

quo & pituita, & bilis vtraq; & tenues serosiq; humores continentur, at sanguinem ad mammas deferri, deinde ab adenibus qui sunt inibi, propria facultate, in Lac transmutari statuit iterum *Galen. lib. 5. Aph. 39. & 40.* nutrimentum corporibus, maximè proprium *Arist. lib. 7. Politic. cap. 17.* Verum enim verò sanguis, vt Lac etiam, vna quædam res videtur *Galen. lib. 2. de Elemen. cap. 2.* quarè Lactis non erit vna vsquequaq;, verum ex contrarijs, atq; etiam differentibus conflata.

Quemadmodum autem Lac, ratione contrariarum, quas habet, partium hæterogeneum dici meretur, sic nulla ratione temperamentum eiusdem frigidum statuendum est. Nam si vniuersa ipsius compositio examinetur, potius calidum esse, vel contentiosi fa-

teri

teri coguntur. ex tribus enim substantijs constat Lac vnumquodq; (asserunt Paulus Aetius, Auicenna, sed præcipuè *Galen. lib. de succ. bon. & vit. cap.4.*) dissimilarium inter se partium, quarum vna serosa existit, tenuis, acris, & calida à *Galen. lib. 3. de alim. fac. cap.10.* sic dicta, ijsdemq; verbis declarata, crassa altera, & caseosa, quam à caliditate non excludit odor, & sapor; tertia butyrosa, quam esse calidam annuit *Galen. lib. 4. de simp. med. fac. cap. 17.* dum inter medicamenta calida ipsam numerat, sicut etiam alibi idem confirmat *lib. 11. de simp. med. fac. cap. & lib. 10. eiusdem tract. cap. proprio*, dum concoquendi, atq; laxandi facultatem ei tribuit, talia enim caliditate pollere liquido constare videtur, atq; alibi hoc exprimit idem *Galen. lib.3. de alim. fac. cap.16.* dum medio-

mediocriter calidum ſtatuit. Si eiuſdem Lactis qualitates temperamẽtum conſequentes experiantur, ſunt ex eodem *Galen. lib. 11. ſimp. med. fac. ibid. lib. 4. cap. 7. & 9.* craſſæ, pingues, & dulces, quæ omnia ſunt firmum caliditatis argumentum, id *Galen. ibid. lib. 4. cap. 9.* probat omne dulce calidum eſt, nec immodicè calorem noſtrum exuperat, quæ fortaſſe ab *Ariſt. lib. 4. de hiſt. animall. cap. 8.* deſumpſit, vbi habet Lac autem omnibus alimento eſt, quod dulciſſimum, & coctiſſimum ſit.

Si denique eiuſdem facultas obſeruetur, Lac eſt cibus bonum ſuccum generans, inquit *Galen. lib. 5. Aph. 64.* bene concoquitur, bene nutrit, quia generat ſanguinem, ac cito per venas diſtribuitur, quæ autem magis nutriunt calida, & humida ponit *Galen. lib. 2. Aph. 6. & 11.*

qui-

quinimo ex genere dulcium ea omnia statuit, ex *Cardano in lib. Hipp. de alim. lec. 13.* potest desumi ratio, quia cum concoctio consistat in similitudine, & calore, alimenta etiam calida plerumq; sunt leuiora, rariora, & meliora. Lactis præterea omnis, vt inquit *Claudinus sect. 8. cap. proprio*, in apendice libri de ingressu ad infirmos, varia est differentia pro varia animalium specie, nam largissimè quidem alunt Lac vaccinum & ouillum, vt potè, quæ crassarum & terrearum sunt partium, est autem ex *Galen. lib 3. de alim. cap. 15. & 7. Meth. 6.* quod maxime nutrit maximè crassum, promptissime autem, & facillime nutriunt primo omnium Lac humanum ex *Galen. lib. de Marco. cap. 9. de succ. bon. & vit. cap. 4. lib. 7. Meth. 6.* secundo loco asininum, quod omnium tenuissimũ

est,

eſt, cui tertio loco *Auerr. 7. Collig. 15.* addit caprinum, quod ex *Galen. lib. 5. Meth. cap. 12. & lib. 3. de alim. 15.* inter aſininum, & vaccinum medium eſt, nec verò tantum pro varia animalium ſpecie, variȩ facultatis Lac eſt, ſed etiam in eadem earumdem animalium ſpecie diuerſum euadit, pro anni tempore verè ſiquidem ex *Galen. lib. 3. de alim. cap. 15.* vt liquidiſſimum ita copioſiſſimum, pro vario animalium habitu, tempera-mento, etate, victu, &c. ſic mulier, capra elaterium, aut cucumerẽ ſylueſtrẽ comedentes pueris purgatio teſte *Hipp. lib. 6. Epid. ſect. 5. tex. 35. & Galen. lib. 3. de alim.* addit, mulier agreſtibus herbis diu vſa in annonæ caritate vlceribus infecit puerum quem lactabat. A loco etiam ſic, vt dicit *Galen. lib. 5. Meth. 12. & lib. 10. Meth. 11.* quod eſt ad Tabias

inter

inter Neapolim, & Surrentinum, & *Arist. lib.3. de animal. cap.21.* id peculiariter notat, fuscarum mulierum Lac salubrius esse, quam candidarum, quod hæ pituitosæ sint, & escrementosæ, & Hippocrates frequẽter Lac querit vaccæ nigræ, & Mesues capræ fuscę.

Plura adhuc recitat Claudinus, quẽ lubens omitto, nõ tamen credas, quod propter absentiam vnius contrariorũ, alterum omnino recipiam, Lac enim vbi minimè frigidum esse dico, non statim calidum absolutè, verum iuxta superiorem enarrationẽ ex mente Galeni, siue in actu, siue in potentia eiusdem facultatem cõsideres, temperate calidum pronuntio, tali enim qualitate præditum nuper natis animantibus naturale nutrimentum existit, quod secus foret si frigidum esset.

Qui-

Quibus ſic poſitis, reliquum erit, nonnullis dubitationibus ſatisfacere, quę licet validioribus argumentis non fulciantur, aliquis tamen ad Galeni auctoritates confugiendo, non leuem dubitandi anſam habere contendit, mihi autem parum faceſſit negocium; Nam ſi Lac, vt opinatus eſt, ſecundum ſe totum frigidum, & humidum eſſet, vtiq; *Galen. lib.5. de ſimp. med. fac. cap.21.* contrarium minime pronuntiaret, quando ipſum tepidè calidum expreſsè ſtatuit, neq; eiuſdem caliditatem imminuit, vbi in medio pituitæ, & ſanguinis illũ conſiderat, quia id propius ad ſanguinem collocat. Nec obſtat, quod ibi pituitam frigidam eſſe dicat, quandoquidem non abſolute loquitur verum ad bilem, & ſanguinem ipſam confert, pituita enim (naturalis inquam) & ſalu-

taris,

taris, & dulcis est ex eodem *Galen. lib. 3. nat. fac. cap. 9.* at pituita, *lib. 2. de feb. diff. cap. 8.* dulcis, exquisite frigida non est, quæ enim *lib. 3. Aph. 12.* fit à pauca frigiditate, vel paucam habet dulcedinem, vel nullam manifestam qualitatem, pituita namq; *Galen. lib. Hipp. de nat. hum. tex. 35.* si frigida tantummodo exactè esset, quasi glacies esset excocta, hæc non ignorauit *Arist. lib. 1. de gen. anim. cap. 18.* quoniam vtilis alimenti ipsam excrementum dicit, quod permixtum cum cibo puro alere potest, quæ autem istius modi sunt, minimè exactè frigida censenda videntur, dulcedo enim, & ad alendum proxima dispositio, frigiditatis non sunt indicia manifesta, nec est à *Galen. lib. 4. de sanit. tuen. cap. 4.* mente alienum, quia dicit; quod pituita ex sanguine nondum co-

ὲto eſt, quare neq; omnino caliditatis expers videtur.

Ad frigiditatem in Lacte comprobandam * proponitur altera difficultás, ex *Galen.* 5. *Aph.* 40, ſic habente; Lac tanto eſt frigidius ſanguine, quanto adenes ſunt hepate frigidiores, nam adenum natura, illorum prçſertim, qui in mammis ſunt, exanguis, & proculdubio frigida, (omne enim exangue frigidum eſt) atq; ideò ſanguis ad ipſos adenes delatus ad frigidius commutat.

Galenus hic figuratè loquitur, alioquin hepar frigidum poneret, dicit enim adenes eſſe frigidiores hepate, frigiditas autem cũ dicatur ad aliquid, *Ariſt. in prædic.* & ſit qualitas tangibilis ſuſceptiua magis, & minus, in eo ſenſu, ſubiecto terminanti competeret,

pari-

pariterq; terminato, hoc enim illius naturam necessario redolet; erit igitur sensus, vt Brasauolo, & *Mercuriali de morb. mul. cap. de Lacte*, viris doctissimis, placet, sanguinem tanto esse Lacte calidiorem, quanto hepar adenibus est calidius, vtraq; pars igitur calida constituitur, magis enim, & minus secundum Phylosophos non variat speciem, sic hepar à *Gal. lib. de sperm. & lib. 4. de vsu par. 13. & 14.* sanguinis officina dicitur, & calidum *5. Aph. 48.* temperamento ponitur, adenes quoq; (licet exangues) minimè frigidi sunt; nam Galenus relatiuè loquitur, alioquin inconstans, & sibimet contrarius esset, discas* hanc veritatem ab ipsomet *Galen. de succ. bon. & vit. cap. 4.* dicente in eo potissimum loco mammas constituere conueniebat, vbi facillimè simul,

& citiſſimè Lactis copia perfectè elaborati poteſt conſiſtere, nam quis locus alius magis inſito animantibus calore, (cuius cor eſt fons) frui queat, quam is, qui in mammis eſt deſtinatus, quomodo igitur crediderit aliquis, mammas eſſe frigidas, cum inſito cordis calore omnium maxime partium gaudeant, & ex *Gal. loco citato*, ſanguinem in venis, & arterijs confectũ recipiant.

Sic omenti pinguedo, quæ eſt exanguis, quod calida res ſit, dignoſcitur ex ſenſu ipſo, vtentibus ea nobis vice olei, inquit *Galen. lib.4. de vſu part. cap.9.* indicat autem id non minimum, quod facilè in flammam tranſmutatur, tamquam ad flammę naturam proxime accedat, nihil enim frigidum promptè comburitur, quare omentum gratia calefaciendi factum eſſe euidenter diſcas,

itaq;

itaq; cum Lac minimè frigidum esse hactenus probatum fuerit, ad aliam dubitationem diluendam sermonem conuerto.

Præterea credit * aliquis, Lactis frigiditatem colligere ex *Galen. lib.5. simp. med. fac. cap.17.* quoniam Lac, & si gustu dulce, tamen ex se numquam amarum efficitur, vincitur enim in eo à frigore magis caliditas, quam ipsa vincat, proinde etiam repositum acescit, itaq; Lac vniuersum à modicę caliditatis corpore longo interuallo relinquitur.

At velim recordetur, quod eadem loquutione figurata, & relatiua vtitur Galenus in hòc loco, vbi Lactis ad mellis dulcedinem facit comparationem, hoc enim illo huiusmodi qualitate prępollere satis liquet, mel enim à maiori ignis vi actus tempore breuiore, ab exi-

gua verò, temporis tantummodo diuturnitate amarescit, secus autem Lacti euenire docet, quod & si dulce sit, non fit amarũ, sed aciditatem acquirit, quia vincitur à frigore caliditas, quis enim, vel mente crassus, nesciat, à frigiditate induci aciditatem mixto, quod tamen dum in propria forma manebat, prę existentẽ caliditatem insitam habuisse arguit, confirmat hoc *Auerr. lib. 3. Collig. cap. 6. & 16.* docens aciditatem substantialiter à frigido fieri, & accidentaliter à calido, non enim fit absq; euaporatione calidioris substantiæ mixti, nec absq; calido concitante ipsam euaporationem, propterea dicebat *Galen. lib. 1. de antid. cap. 3.* tepidus locus vina facile acida reddit, cum alioquin *lib. aduersus Lycum* nullum vinum secundum naturam acidum sit, cuius rei, videtur

dixis-

dixisse rationem *Gal. lib. 4. de simp. med. fac. cap. 14.* persimile enim quid vinis accidit, quæ natura frigidiora aquosioraq; sunt, quale flammis exiguis, & imbecillis, quippe si eas ad Solem feruidũ exponas, aut prorsus obscurari, aut extingui deprehendes; sed quem * audio reclamantem, quia Galenus ibi agit de frigido vino, scias comparatiuo, non absoluto modo loquutum fuisse, omne enim vinum, calidum est, eodem Auctore *lib. de simp. med. cap. proprio*; sed instat adhuc aliquis, * quia ex *Gal. loco supra citato 4. simp. cap. 17.* Lac vniuersum à modicæ caliditatis corpore longo interuallo relinquitur, at euenit, quando propria forma exuitur, proinde addit Galenus ibidem, quapropter ex se acescit potius, quam amarescit. *& Auic, lib. 4. fen. 4. tract. 2. cap. 1.* dicit,

quod Lac est bonæ substantiæ, & velociter recipit corruptionem, *& lib. eodem ser. 6. tract. 3. cap. 19.* conuertitur in via acetositatis ad putrefactionem aliam repetit; vnde Hieronymus Cardanus *in lib. Hippoc. de alim. lect. 55. tex. 62.* ex mente Hippocratis, & Mercurialis *in sua praxi cap. 31.* ipsum temperate calidum constituunt.

Deniq; duo quęsita, dum hęc scribo, in mentem veniunt: Primò an Lac sit corpus similare secundum se, hoc ab Aristot. determinatur *lib. 2. de part. anim. cap. 2. & 9.* affirmante Lac esse corpus similare humidum, quod similare est, vel omnino, vel quandiù manet in cõstitutione naturæ, nam supernatante butyro, & separato sero à subsidente caseo, tota massa veluti naturam Lactis exuta est corpus dissimilare, priusquam

verò

verò hæc tria ab inuicem seiunguntur; tota massa est corpus similare eius generis, cuius portio singula nomē idem cōmune Lactis cum toto sortitur; quęlibet enim gutta Lactis est Lac, & in se continet serum, butyrum, & caseum, Secundò quęritur quomodo butyrū: serum, & caseosa substantia consistant simul in mistione, dum cōstituunt Lac; duo dicimus. butyrum primò sua viscitate, seu glutem inuicem colligat serum fluxile cum casei consistentia duriori, deinde butyrum, in quo prædominatur aer, & ignis, continet serum à prædominio aqueum, & caseum terræ prædominium, quia ignis in misto se habet ad alia elementa, veluti forma ad materiam, vt dicit *Arist. lib. 2. de gen. tex. 50.* qui alibi sæpè repetit proprium esse materiæ contineri à forma, formæ

verò

verò continere materiam ne diffluat. *3. Phyſ. 67. lib. 4. Phyſ. tex. 15. & lib. 4. Cœli tex. 35. & 2. de anim. tex. 39.*

De ſero, & eiuſdem temperamento. Caput II.

QVandoquidem omnium corporum natura ex eorumdem cauſis dignoſcitur, ſcire namq; vt ait *Ariſt. lib. 2. Phyſ. ſum. 3. cap. 1. & lib. 1. Metaph. ſum. 2, cap. 7.* eſt res per cauſas cognoſcere, hæ autem quatuor cũ ſint, iuxta has conabimur ratiocinari de ſero, quod, vt videtur, eſt pars Lactis aquoſa, ſic ab inſito animantis calore adęquata, & diſpoſita, vt ſuæ tenuitate ſubſtantiæ ipſum totum Lac per ſua loca fluxibile, & permeabile ſit, hanc diffinitionem non damnat *Galen. de vſu*

ert. cap. 5. vbi habet, serosum excre-
mentum à Grçcis Ochima trophis ap-
pellatum, est aquosa, & tenuis sangui-
nis humiditas, ad crassam substantiam
chymi per arctas venas in totum cor-
pus ferendã; digladiantur Neoterici de
seri temperamento, quod pleriq; iuxta
veterũ themata calidum statuunt, qui-
bus, vt assentiar, & ratio, & experientia
mihi suadent: dicit *Mesues lib. de simp.
cap. de sero Lactis*, serum Lactis calidum,
siccum gradu primo, vsq; ad secũdum,
nitrosa sua substantia terget, ac purgat;
sic *Auic. lib. 2. tract. 2. cap. 27.* ipsum ca-
lidum ponit, propterea, quod in ipso
sunt nitrositas acquisita ex sanguine
primum, & pars colerica, nec aborret
ab hac sententia *Galen. lib. 10. de simp.
med. fac. cap. de gala. lib. 4. de comp. med.
loco, & lib. 3, Aph. 24.* quippe qui La-
ctis

ctis ſerum vim habere extergendi te-
ſtatur, at quęcunq; medicaméta huiuſ-
modi facultate abſterſiua pollent, ſalſa
& amara cum ſint, teſte eodem *Galen.*
lib. 5. de ſimp. med. fac. cap. 12. & lib.
cap. de bulboſatiuo, calida ſunt, ſerum au-
tem eſt huiuſmodi, ergo dubio procul
calidum eſt, expreſsè declarat, & con-
firmat hanc veritatem *in lib. 2. de ſimp.*
med. fac. cap. 12. quia Lactis ſerum ſalſ-
ſuginoſum appellat, vnde in puerulis
Galen. lib. 3. Aph. 27. nuper natis fiunt
aphtæ, ſcilicet vlcera, quæ ſummam
oris partem occupant, propterea quod
Lac non paruam in ſe ſeroſam conti-
net partem, hæc autem pars vim habet
abſtergendi, quare non mirum, ſi in
corporibus mollibus quaſdam per ſum-
ma facit vlcerationes, quæ, nemine re-
pugnáte, ab humore calido, & erodem
te

e gignuntur, hæc prius cognouerat *Arist. lib. 4. de gen. animal. cap. 8.* qui dixit, Lac autem omnibus alimento eſt, quod dulciſſimum, & coctiſſimum ſit, itaq; ſublata hac facultate, reliquum ſalſum maleq; ſapidum eſſe neceſſe eſt, quarè ſerum, ex Ariſtotele quoq; calidũ ſtatuendum eſt, nam ipſe Auctor *lib. 23. probl. 30.* ſaporem ſalſum calidum ſtatuit, neq; de hac veritate ambigẽdum, quando *lib. 3. de hist. anim. cap. 20.* ſerum lactis appellat ſaniem dilutam, ſanies autem, *eodem Arist. ibid. cap. 19. aſſerente* aut eſt ſanguis incoctus, aut quia degenerauit in ſerum.

His addo, quæ ſentit *Galen. lib. de emp. med. cap. 10. lib. 3. de alim. cap. 16.* ſerum ipſum etiam abſq; coagulo acrimoniam habere ſcribens, quam in illius fluore Medici abhorrent, *eodem cap.*

cap. 16. pariter idem expressius declar-
uit de oxigalacte agens, neq; ampli
calidam acremq; qualitatem, ac fac
tatem retinet, quam Lac à sero hab
cuius etiam sententiæ est *Aetius serm*
cap. 98. qui eadem verba ex Galeno
tulit, *cap. 199.* quæ etiam comprob
fuere, dum inter ea, quę ordine pri
calefaciunt, serum Lactis reponit.

At quãdo de oxygalacte incidit s
mo, scias non Lac totum cum trib
essentijs suis (vt male * aliquis opi
tur) sed tantummodo partem caseos
intelligendam esse, reliquis duabus
clusis, sic declarat *Galen. lib. 3. de alim.*
cap. 16. inquiens in eiusmodi enim p
paratione s la relinquitur caseosa su
stantia, atq; ipsa non eiusdem nat
cuius ab initio fuit, sed ad frigid
conuersa, itaq; oxygalac frigidum
& crass

& crassi succi, sic *Aetius serm.2.cap.98.* ait, neq; enim calidam, & acrem seri qualitatem oxygala habet, neq; pinguem, & calidam butyri, sed solum in ipso reliquum est caseosum, vnde frigidum est & crassi succi, & crassos humores generat, quæ omnia *Plin. lib.8. nat.hist. cap.9.* comprobat, vbi post quam conficiendi modum docuit, addit, quod est maxime coactum in summo fluitat, id exemptum, addito sale, oxygala apellant.

Sed oritur, dubitatio ex *Galen. lib.4. de simp. med. fac. cap.17.* qui serum frigidum, & humidum ponit, & quidem eo loco sic ipsi dicere conueniens erat, nam mellis primò ad totum Lac, deinde ad eiusdem Lactis partes singulas comparationem facit, vnde serum frigidum ponit, non quod verè tale statuerit,

fuerit, alioquin Galenus inconstans & sibimet contrarius esset, sic ex tot su- pranotatis locis euidens est, sed quia ad mellis caliditatem, serum collatum fri- gidum dici potest, nec mirum, calidum enim, & frigidum adeò multipliciter dicuntur Antiquis, vt nonnulli sangui- nem, & bilem modo calida, modo fri- gida appellarint, diuersa tamẽ compa- ratione facta; sic testatur *Arist. lib.* 2. *de part. anim. cap.* 2. & *Hipp. lib.* 1. *de morb. prope finem*, bilem sanguine frigidiorem appellat, cũ ipsemet alibi sulfuri ipsam assimilet, & Galenus, & Medicórum schola contrarium prędicent, pari pacto *Galen. lib.* 5. *de simp. med. fac. cap.* 8. ea- dem subinde illi tum calida, tum frigi- da esse videntur, calidiori quidem fa- cto, frigida, frigidiori verò, calida, ita ut crebrò sanè fallimur; vt qui quod ex

haud

haud frigidum eſt, id frigidum eſſe dicamus, quod verò calidum ex ſe non eſt, id eſſe calidum pronuntiemus. Alia poteſt reddi ratio, nam cum ſerum hætherogeneum ſit, ex partibus præcipuè aqueis frigidis, & humidis, pariterq; terreis, & ſiccis, ſalſis, & calidis conſtans, de illis, nempè de frigidis, & humidis, eo loco mentionem fecit, nec inconuenit mixtum, qualitates inuicẽ contrarias ſic potuiſſe nanciſci, vt ſub diuerſa conſideratione calidum, frigidum, humidum, aut ſiccum euidenter appareat, vnde ex *Ariſt. ſect. 24. probl. 17.* proximum id accidit aquæ, quam per cinerẽ tranſmiſſam colamus, hęc enim tranſmiſſa per calidum cinerem, nec ipſa ſuum frigus amittit, & cinerem frigidum reddit, ſalſa tamen amaraq; per cinerem eſt, ſed cum aqua, quæ frigida

acceſſerat, alienigena eſſet, calor vernaculus terræ frigorem illum pauciorem euincere vice verſa potuit, atq; ita ſuum calorem aquæ acceperunt, quare cum hęc eadem aqua tum frigida propria natura, tum calida propter acquiſitam ſalſedinem dicatur, de ſero quoq; his qualitatibus prędito, ſic dixiſſe non inconueniens erit, in ipſo enim aqueę partes terreas ſuperant.

At quid reſpondebimus *Manardo lib.16, epiſt. 5.* dicenti; ſi ſerum calidum eſſet, quò ſeroſius Lac eſſet, eo eſſet calidius, cum tamen aſininum, quod maximè ſeroſum eſt, multum ſit frigidum, Manardo ſicut concedimus Lac Aſininum propter maiorem ſeroſi humoris copiam paullo calidius quolibet Lacte haberi, ſic in cæteris partibus frigidius eſſe aſſerimus, quantum enim

cali-

caliditatis illi à seri aucta portione augetur, tantundem à butyri diminuta quantitate adimitur, butyrum enim, ex Galeno, calidum est, vnde Lac Asininum, cęterarum Lactis specierum temperiem sortitur, hæc desumo ex *Galen. lib. 3. de alim. fac. cap. 15.* nam pinguissimum (ex quo butyrum conficitur) est Lac bubulum, ouillum, & caprinum habent quidem, & ipsa pinguitudinis quidpiam, sed multo minus, Asininum verò huius succi habet minimum, vt propterea dixerit *Arist. lib. 3. de hist. anim. cap. 20.* eorum animalium, quę vtrinq; dentata sunt Lac coire non potest, sicut nec pingue, & tenue dulceq; est.

Vnde non Auicenna* qui summus Phylosophus fuit, neq; Mesues damnandi erunt, dum in illo calidum temperamentum agnoscunt, non enim

Phylosophis, consentiente *Galen. lib. 1. de simp. med. fac. cap. 24.* duplex vni mixto temperamentum negatur, quin potius hac nota inurendus esset Galenus, qui sero calidam, & acrem, loco supra citato, assignat facultatem, quæ tamen ex eiusdem *Galen. lib. 2. de semine cap. 2.* sententia ab ipso temperamento pendet.

Considerant igitur in sero non partes aqueas subtiles, & frigidas, sed terreas crassiores, & calidas, hoc quod alicui * visum fuit nouum, & inauditũ, mihi ex primis Phylosophiæ principijs videtur depromptum, quarè vt ad Philosophantium scolam accedamus *Arist. lib. 2. Metheor. cap. 2.* accerso, qui respondit, in maris aqua, quod potabile est, & dulce, propter leuitatem sursum ducitur, omne salsum autẽ subsidet propter

ter grauitatem, quis igitur partem calidam in terrea materia istic consistere non intelligat? Non dissimilem habet Anaximander rationem apud *Gal. lib. de hist. Phylosophica*, inquiens, in salsedine Maris, aquæ dulcis, quod à calore euaporante cōsumi, nec extenuari potuit, salsum, & amarum subsidisse, at omne salsum, & amarum calidum est, ex *Galen. lib. 6. de simp. med. fac. cap. 16.* serum autem calidum cum sit, & salsuginosum, vt supra, ex Galeno probatum est, caliditatem quoq; in crassiori, ac terrestri parte obtinuit, ecce Aristoteles, ecce Galenus quid sentiant, ille tamen, * & Aristoteli, & Galeno contrarius in sero tenuem ad calefaciendū substantiam inuenit, crassamq; frigidam esse prędicauit; nec dicat aliquis, quod in tenuiori parte cuiuslibet mixti

vis igni reſpondens perpetuò conſiſtat, quia Philoſophorum placitis aduerſatur, *cuncta enim non ſunt vnius eiuſdemq; compoſitionis, & facultatis, at inſtat adhuc auctoritate aſſerentis, *Gal. lib.10. Met. cap.9.* quę abſolutè tenuium partium ſunt ſubſtantiam exacte frigidam fortaſſe non inueniri, ſic acetum cum omnium, quæ nouimus, poteſtate refrigerantium planè tenuiſſimarum ſit partium, admixtam ſibi aliquam caliditatem habet, hactenus Galenus, & & optimè, veriſſimum tamen eſt, aceti caliditatē in parte magis terrea ſui compoſiti contineri, ſicut ſpagyrici in aceto extillando, optimè norunt, aſcendit namq; aqueus humor minimè aciditatem conſeruans, in vaſis fundo parte craſſa acri qualitate prædita, ſubſidente, hoc non repugnat *Galen. lib. 4. de*

ſimp.

simp. med. fac. cap. 19. quippe qui, acrẽ qualitatem aliquando in subtili, quandoq; in crassa mixti essentia cognouit, quinimo hoc affirmare videtur his verbis, *lib. 1. de simp. med. fac. cap. 17.* sanè in omnibus liquoribus, quos exprimendis fructibus conficiunt, crassum defertur quidpiam, quod & temporis spacio subsidit, fex vocatur in vino, in oleo autem amurca, sed & in omnibus alijs, inest, quod illis proportione respondet, tametsi proprium nomen sortitum nõ sit, quod veluti fex est in illis, & fortasse, & in aceto est eiusmodi, quidpiam, & forsam ipsum est, quod caloris est particeps, quod verò frigoris, id quod tenue est, consimili modo ante illum scripsit *Dioscor. lib. 5. cap. 79.* qui in fece aceti vires valde acres cognouit.

De ſeri facultate purgante. Caput III.

HActenus de ſeri temperamento diſputatum cum ſit, eiuſdem facultas conſideranda venit, quam à temperamento differre ſcimus, hoc enim ſecundum *Gal. lib. 1. de ſanit. tuen. cap. 5*, in quadam mediocritate cō-ſiſtit, illa verò ex *eodem Galen. lib. 1. de ſimp. med. fac. cap. 1. lib. de plen. cap. 3.* cauſa eſt, quædam effectrix, cuius eſſentia ex calido, frigido, humido, & ſicco conſtat; at qui facultates rerum quęrunt, vt inquit *Gal. lib. 2. de ſimpl. med. fac cap. 27.* nō accidentia, vt odores, & colores, ſed operationes cōſiderant, facultas namq; medicamēti cuius vis iudicium abunde citra ſaporum dignotionem teſte *Gal.*

lib. 2.

lib. 2. de alim. fac. cap. 61. contra Mnesithei ſententiam, ſola reperitur experientia, & quemadmodum ſexcenties ſe expoſuiſſe aſſerit *Gal. lib. 4. de ſimp. med. fac. cap. 7.* at ſerum ventris ſolutiuum experimur, quod maximè fuit antiquis cognitum, ſic *Dioſcor. lib. 2. cap. 62.* dixit ſerum Lactis eſſe potentiſſimũ ad purgationes in melãcolicis, comicialibus, Lepris, Elephantiaſi, *Auic. lib. 3. fen. 18. tract. 2. cap. 3.* aquam caſei ventrem ſoluere autumat, Galenus verò multis in locis *præcipue lib. de ſucc. bon. & vit. cap. 4.* ſcriptitatum reliquit, quinimo id perbelle probat, nam *lib. 3. de alim. fac. cap. 16.* qui Lac comedunt, ſubducitur ijs aluus magis, vel minus proportione quantitatis ſeroſi humoris. hanc veritatem Paulus, Aetius, & alij Medicinæ magni nominis Scriptores ſequuti sũt,

at verò *Mesues de simpl. cap. 9.* hanc purgandi potentiam à nitrosa sua substantia, *Gal. lib. 3. de alim. fac. cap. 15.* ab acrimonia, cuius occasione (inquit) Lac omne aluum subducit, acceptam referunt, subscribit *Auic. lib. 2. tract. 2. cap. 127.* dum in aqua casei agnoscit nitrositatem acquisitam ex sanguine, & partem colericam; verum Lactis serum prius intra venas serosam sanguinis partem extitisse scimus, & huiusmodi serosus sanguinis humor, testante *Galen. lib. 3. de mor. vulg. com. tex. 5.* ex Hippocrate, est vrina, quę *Galen. lib. finit. Med.* ipsi dicitur excrementum, quod in Iecore gignitur, discernitur in renibus, per vreteras in vrinariam vesicam deriuatur, cuius efficiens causa vrinæ sanguinis generatio in Iecore est; hæc autem teste *Arist. lib. 4. de part, anim.* salsu-
ginosa

ginosa cum sit, salsuginosum quoq; Lactis serum sit necesse est, sic Galenus loco aliàs citato asserit, sic *Valesius in comen. suo septim. vulg, 12.* declarat, & confirmat. Mirabitur fortasse aliquis * nouitate doctrinæ, quam tamen in primis Phylosophiæ studijs me docuit *Arist. lib. 2. Metheor, cap. 2.* dicens, in animaliū corporibus alimento ingrediente dulci, humidi alimenti subsidentia, & excrementum apparet amarum esse, & salsum; *& eodem lib. cap. 3.* subdit, in corporibus enim, quod minimè coctū st, salsum est, & amarū, humidi namq; limenti excrementum incoctum est, iusq; generis omne sedimentum est, dq; maximè, quod in vesicam colligiur; at posset dubitari de Auicenna, nirosam qualitatem seri à sanguine receptam agnoscente, ne sanguis magis

nitro-

nitrosus, & ipse sit, an quia in quolibet mixto à natura sal reperitur, qui ab Arist. loco citato humidi alimenti subsidentia, & excrementum dicitur, dulce enim, & potabile ab innato calore atractum, in carnes, & aliam constitutionem partium venit, pro cuiusq; illarum natura, quod verò reliquum est, & inutile per vias vrinæ transit, quare seri facultatem purgantem ab acrimonia, & nitrositate sua proficisci satis probatum est, nec est, quod aliquis *Dioscor. lib. 2. cap. 64.* inixus * obijciat serũ vim suam purgantem ab immixto butyro nancisci, quandoquidem idem Dioscorides ait, butyrum natura oleosum est, & emolliens, vnde largius epotum ventrem resoluit, at in sero non est; verum gratis post coagulationem casei, paululum adhuc butyri reman-

sisse

fisse concedamus, ad aluum ciendam insufficiens erit, copiosius enim tãtummodo sumptum operatur; sic infusio rosarum, & violarum, nisi sæpe, ac sæpius saltem per nouem vices flores infractos, & nouos immutando, reiteretur, extractum plane inualidum esset, hoc namq; pacto virtus in pluribus dispersa in vnum collecta, fortior euadit *Mesues lib. simpl. cap. 9.* fortasse aliter euadet? Qui aquæ casei ebutyratæ, & non ebutyratæ meminit, minimè, nam loquitur impropriè, alioquin sibimet in eodem capite contrarius esset, vbi aquam Lactis nitrosam statuit, butyrum autem emplasticum est, vnde credendum in hoc ab *Auic. lib. 2. tract. 2. cap. 127.* placito minimè discessisse, qui ait, caseus quandoq; fit ex Lacte, quandoq; ex sero, & est ille, qui nominatur

reco-

recocta, de qua ſic aliquis rationem habet, vt ſemel in diſputatione quædam obiectum mihi fuerit, ſerum à caſeo ſecundario, ſeu magis * recocta depuratum calefacere, nõ depuratum verò refrigerare, experimentum afferem de canibus armentorũ, & opilionum cuſtodibus, qui illo cibo vtentes ſcabiem incurrunt, cum hoc recocta pleno euadunt, quare hęc ſcabiei medell ipſi erit; ſed his prætermiſſis nęnijs, ſerum à butyro nullam ſoluentem facultatem ſortiri concludo, alioquin quo magis butyroſum Lac eſſet eò valentius ſolueret, & *Galen. lib.3. de alim. fa cap. 15.* contrarium probat inquiens pinguiſſimum (ex quo butyrum fit) eſt Lac bubulum, ouillum verò, ac caprinum habent quidem, & ipſa pinguedinis quidpiam, ſed multo minus

Aſi-

Asininum verò huius succi (nempè butyri) habet minimum, propterea magis per aluum deijcitur, vt quod serum multum habeat, à quo Lac omne facultatem habet deijciendi, poterat ne Galenus loqui clarius?

An sero ad purgandum duntaxat non ad alterandum vsa fuerit antiquitas.
Caput IV.

LOngiori oratione, præter institutum, sero vim subpurgantem inesse mihi probasse videor ex Dioscoride, Aetio, Paulo, Auicenna, Mesue, sed ante omnes, (inferius patebit) ex Hippocrate, quem sequutus est Galenus, qui hoc passim in suis operibus sparsim asseueranter testatus est, & superiori capite notatum fuit, verum concludit

cludit aliquis, * ſeri facultatem ſoluentem antiquis fuiſſe dubiam, propterea quod *Galen. lib.14. Meth. cap.17.* pro purganda Matrona Romana ſero parum ſcamonij infuſum præbuerit, an, vt ibi inquit Galenus, purgatione bilioſi humoris opus erat, ſerum verò non vere purgandi, ſed ſubducendi facultate pollet ex mente ipſius *Galen. pluribus in locis*, qui pro variarum affectionum cauſis diuerſas indicationes ſumens, variam remediorum ſpecies ſimul in vnum cogit, ſic *lib. de dynam. cap. proprio*, ad validiorem euacuationem ſcamonio veratrum nigrum addidit, & alibi *lib. 1. ad comp. med. ſec. loc. c. 2.* hierã ex colochymtide, quandoq; ſcamonium ſolum, cui etiam quandoq; hierã immiſcuit, neque oſcitanter, ſed affirmanter loquitur *Galen. lib. 3. de alim. fac. cap. 15.* vbi habetur

quod

quod veteres ad aluum ſubducendam potu plurimo vſi videntur, quoniam hic compoſito, & paſſiuo modo intelligenda hæc dictio, videntur, ſcilicet cernuntur, ideſt cenſeo, at demus in ſignificato ſimplici, ſeu deponenti actiuo intelligatur, nihilominus non dubitatio, ſed exacta affirmatio erit, quandoquidem, Philoſophos, in veritate certa, & famoſa, ſic loquutos, ſcimus, non eſt meum, ſed *Ariſt. in pręd. cap. 3.* inuentum, dicens, amplius, animali quidem ſublato, non erit ſcientia, ſimiliter autem his ſe ſe habent, & quæ de ſenſu ſunt, ſenſibile enim, priuſquam ſenſus, eſſe videtur, ſenſibile enim ſublato ſimul aufert ſenſum, ſenſus verò ſenſibile non ſimul aufert, hæc ſi negligis, *Porphyrium in antepręd. cap. 1.* * in primis Logicæ elementis conſulas; patet

D igi-

igitur ex dictis, Galenum pro aluo ſubducēda ſerum abſolutè ſemper perſcripſiſſe, at his rationibus aliquis deuictus,* alium recurſum inueniſſe opinatus eſt, vnde clamat, præter ſoluendi facultatem antiquos alterandi quoq; cauſa ſerum adhibuiſſe, affert Galenum teſtem, *lib. 2. de arte cur. ad Glauc. cap. 10.* vbi in cura cancri, ait, in victus verò ratione ſuccus ptiſsanę abundanter exhibendus, & ſerum Lactis, & ex oleribus malua, atriplex, blitum. hactenus Galenus, qui non ſimpliciter ad alterandum, ſed ad ſubducendum id proponit, idcirco abundanter ſumendum ait ptiſſanæ ſuccum, & ſerum Lactis, ſerum inquam, non à ptiſſanę ſucco fortaſse diſiunctum, nam copulatiuè loquitur, tali etenim modo ſumptum ſerum, tum ſua, tum adiuncti ratione

ione aluum commouere valet, scimus enim vtrumq; tali facultate pollere, nec est à mente Galeni alienum, quia *lib. de artic. 1. cap. 12.* dicit ptissanæ succum ex aqua decoctum per aluum purgare, *& lib. 1. de alim. fac. cap. 12.* tum cutis vitia, tum pituitam ventriculi valde incidere, ac detergere asserit, sic & ab *Hipp. lib. de alim.* fortasse desumpsit, in cibo medicamẽtum, vnde laudat maluam, attriplicem, & blitum, quæ vim lubricandi, ac subducendi habere *Gal. lib. 1. de alim. fac. cap. 1.* asserit, quinimo *idem Gal. loco citato,* probat in ptissana scamonium, & in Iecoris phlegmone in curatione Theagenis cõtra Attalum, *Galen. lib. 13. Meth. cap. 15.* veratri nigri corticem miscendam suadet, *Hipp. lib. de morb.* quoq; simili ratione agens de capitis affectibus, si venter non subeat,

Mercurialem in aqua coctam terito, ac succum excolato, & de ipso, & de ptissanæ succo parem mensuram permiscito, posterius verò subdit, cibis vtatur per aluum subducentibus, à modicis initio facto, semper aliquid superaddēdo, quarè non mirū, si Galenus, & propriam, & Hippocratis opinionem sequutus, ptissanæ succum, & serum, ad alterandum, sed magis ad euacuandum laudauerit, non negamus tamen, aliquando serum, pro alterante maximò profectu, experiri, at ea paratum ratione, quæ inferius patebit.

Qua seri mensura veteres vtebantur. Caput V.

MEdicamentorū intus sumendorum quantitatem determina-

tam,

am, minimè definiri poſſe, perſępe inculcat Galenus, nam ſola artificioſa coniectura conſequitur, quæ tamen à virtutis tolerantia ſumi debere, aſſerit *lib. de vict. rat. acut. com. 2. tex. 37. & lib. 1. Aph. 3.* vnde non mirum ſi apud Scriptores eadem ſeri menſura non perſcribatur, conueniunt quidem in ſpecie, dum cuncti magnam copiam, diſcrepant in particularibus, dum aliquando plus, vel minus offerunt, nec præter rationem exiſtit, nam de particularibus ſecundum Phyloſophos, non eſt ſcientia, hæc enim eodem modò ſemper ſe habet, illa verò mutabilia ſunt, initium ſumam à Dioſcoride, in hoc omnium vetuſtiori, nam Hippocrates, quod ſciam, nuſquam quantitatis præfinitæ ſeri meminit, aliquis tamen * contrarium excogitans teſta-


tur, Hippocraticam dosim fuisse vnci-
rũ septuaginta duarũ, quę, vt ipse ass-
rit, libras sex, & vncias duas complec-
at quemadmodum in hisce cõputandi
numeris non benè obseruasse videtur:
nam vnciæ septuaginta duo cõstituun-
solummodo libras sex, cum quęlibet
libra vncijs duodecim numeretur,
locum Hippocratis fortasse non animad-
maduerit in *lib.2. epid. sect. 5.* nam est
sexta, vbi non proponit serum, sed he-
minas octo Lactis, quod * aliquis cum
sero confundens, (sic dicere placet)
rum pro Lacte, & Lac pro sero indiff-
renter sumit, *Dioscor. igitur lib.2. cap.71*
quinq; heminas dandas suadet, at he-
minã prius hauriendam, deinde deam-
bulandum, rursus aliam bibendam, ite-
rum deambulandum vsq; ad quinq;
quem ordinem, ac modum fortasse p-
ste-

steriores, in aquis Thermalibus exhibendis, didicerunt, sicut suspicatur Manardus, & asserit *Falopius lib. de simp. med. purg. cap. 38.* vbi, seri quantitatem vsque ad vncias quadraginta exhibere se consueuisse, testatur, verum hemina pluribus modis recepta videtur, ex Dioscoride tamen apud *Galen. lib. de ponderibus, & mensuris*, cum cotyla attica eadem est, vini habet vncias decem, aquæ nouem; hanc sequemur; nam hemina Italica, testante *Georgio Agricola lib. de pond. & mens. Romanorum lib. 1.* est dimidius sextarius atticus, qui ponderat vncias decẽ, & octo, quare heminæ quinque erunt vnciæ quadraginta quinque, *Galen. lib. de salub. dieta cap. 28.* congium potionis ferè propinauit, cui *Ludouicus Septalius lib. 3. obseruat. med. 51.* optime de medicina meritus assentitur,

congius verò, ex libro Cleopatrę Medici vetuſtiſſimi, ſiue Chus, ſextarios, ſeu Chęnicos habet ſex, Chus autem, ſeu ſextarius (ſunt enim idem) à cotylis duabus atticis completur, cotyla vncias nouem ponderat, quare vncias cęntũ & octo habebit congius, quem potandum dabat *Gal. qui lib. de melancolia* ad minus cotylas quinq; perſcripſit, à quo fortaſſe *Oribaſius primo eupriſt. cap. 9.* deſumpſit, quando pro moderata quantitate heminas quinque dandas ſuadet; *Aetius ſerm. 2. cap. 96.* heminas quinque ſcilicet vncias quadragintaquinque offerebat, *Amatus Luſitanus centur. 2. curat. 15.* ſe ad priſcorum imitationem ad libras quinque vſum fuiſſe, gloriatur hæ igitur ſunt ſeri menſuræ, quibus Medici antiquitus vtebantur, ac etiam nunc, pro aluo cienda, neoterici com

ſue-

suescunt, quemadmodum ex Amato Lusitano, Falopio, *Laurentio Juberto in paradox.* Ioanne Cecchia, ac Ludouico Septalio viris eruditissimis, probatum est, quod si ex recentioribus nonnulli in pauca dosi sex, vel octo vncias commendent, tamquam composito medicamento, & pro matre infusionum, vt inquit Mesues, vtuntur, illo etenim, dum varias simplicium medicamentorum species infundunt, rerum infusarum substantiam extrahunt, quæ, vel euacuando, humores subducere, vel alterando, viscerum discrasyas emendare, possit, ex dictis igitur constat, serum simplex in magna copia semper pro aluo ducenda sumendum.



De

De facultate detergente, quæ sero inest, Caput VI.

SErum, vt dictum est, extergendi potentiam possidet, adhibeturq; subducendi ventris gratia, ac per clysteres inijcitur extergens, & abluens sine mordacitate intestinorum acrimoniam, dixit *Gal. lib. 10. de simp. med. fac. cap. proprio*, quem cęteri, post ipsum, Scriptores sequuti sunt, verum extergendi facultas ipso *Galen. auctore lib. 5. de simp. med. fac. cap. 12.* non vno dicitur modo, nam ryptica siue extergentia ea medicamenta nominantur, quæ in superficie, siue in cute, siue in vlceribus sordem auferunt, quę verò altius poros expurgant, ea ecphrastica, & eccathartica, quasi expurgantia, & farctu liberantia

tia dicas, vnde *Auicen. lib. 4. sen. 4. tract. 1. cap. 4.* hanc distinctionem tenens, abstersionem vehemētem à pauca disiunxit, hæc alicui * cum semel obijcerem, quasi cacchinans, & hos celebres viros parui faciens, has facultates inter se differre, nihil omnino differre prędicauit, & cuncta quæ extergentia dicuntur, ab infarctu quoq; protinus liberare asserebat, quare & Balneatores ex placito illius, spongijs cutim mundantes, & cum duriori linteolo cōfricando illam exasperantes ab infarctu quoq; obstructa vindicabunt, hęc enim vtraq; detergendi vim habere docet *Galen. lib. 10. Meth. cap. 10. & lib. 6. de morb. vulg. com. 2. tex. 4.* at quantum à mente Galeni deuiet, ex dictis liquidò constat, sic magis constabat, dum eidem isti repugnanti auctoritateq; propria asserenti, calidum

omne abstergendi vim habere; ex *Arist. lib.2. de gen. & corrup. cap.2.* calidum calefacere, caliditate autem homogenea congregare, hetherogenea disgregare obijciebam, & suadebam, his hoc modo prolatis, aqua ordei, propterea quod viscidirate sua adhęret, detergendi facultatem habere, * ab ipso putatur, cum tamen reclamantem, habeat *Gal. de dis.cont. cap.2.* dicentem, aqua hordei est subtilis, & mundificatiua, & abstersiua; si igitur subtilis, quomodo visciditate sua adhęret? nec dicat frigiditate partes aliquas crassiores habere, nam ęgrè ferret *Galen. lib.1. Meth. cap. 9.* qui cremorem ptissanæ parum calefacere, & euacuare dixit, ad serum reuertor, quod vim soluendi habere, cuncti fatentur, ventris autem solutio, vt optimè notat *Falopius lib. de simp. med. purg.*

cap. 10. ab Hippocratis, & Galeni doctrinā minimè dissentiens, vel fit, teste *Galen. lib. 5. simp. med. fac. cap. 17.* à medicamentis totius essentiæ similitudine attrahentibus, quam *Mesues lib. 1. cap. 1.* cęlitus sortitam credit, & agnoscit, vel à medicamentis lenientibus, quorum alia à qualitate manifesta tantum, & hęc vel detergendo, vel abluendo, vel lubricando, vel comprimendo, alia verò ab occulta, & manifesta simul euacuationem moliuntur, nempè atrahendo, & abluendo, & detergendo, vt sunt aquæ Thermales nitrosæ, & omne serum Lactis, nam in vtroq; hoc medicamento, eodem Falopio asserente, est debilis facultas attrahens, est vis detersoria ratione nitrositatis, & cũ in multa quantitate exhibeātur, etiam abluunt, quare dum aliquis * à sero pęnitus vim

attrahentem auferre contendit, fortaſſe non recte Galeni mentem aſſequitur, cuius hæc ſunt verba, *lib.14.Meth. cap.9.* ſic & humorem melancolicum educemus, vel ſimplicium aliquo, cuiuſmodi eſt epithymum pondere drachmarum quatuor in ſero Lactis, mulſaue exhibitum, vel compoſitorum aliquo, cuiuſmodi eſt noſtrum, quod ex duobus & triginta ſimplicibus medicamentis eſt compoſitũ, nam ſicut intentio Galeni eſt ibi cum epithymo purgare, ſero autem, vel mulſa pro materia infuſionis vti, ita quoq; ſero vim aliquam electiue trahentem minimè negare videtur, quandoquidem *in libello de melancolia*, pro melancolico humore purgando, dat ſeri cotylas quinq; ſed ante Galenum, *Dioſcor. lib. 2. cap.62.* ſerum Lactis ad purgationes in melancolicis po-

ten-

entissimum obseruauit, sic *Hippocr. lib. de vict. rat. in morb. acut. com. 1. tex. 4.* purgare volens tum elaterij, tum seri Lactis meminit, nec melancoliam solum, verum & coleram cũ facilitate hoc medicamento educi testatur Mesues.

De nitrositate seri. Caput VII.

GAleno seri nitrositatem haud penitus fuisse incognitam conijcere hinc licet, quod in illo, vt upra notauimus, salsuginosam substantiam cognouit, salsum autem saporem à nitroso sola imbecillitate differre dixit *lib. 1. de simp. med. fac. cap. 36.* unt enim eiusdem speciei, sed in ratione maioris, & minoris tantũmodo distinguuntur, neq; per metaphoram, sed mni clariori modo loquutus est tum

ipse,

ipſe, tum *Auic, lib.2. tract. 2. cap.87.* qui hæc confirmans, nitrum ſale fortius eſſe dixit, cum igitur conueniant in ſpecie, differant ſecundum intenſionem & remiſſionem, neceſſario eiuſdem naturæ erunt, & Galenus in ſero facultatem nitroſam non omnino ignoraſſe credendum erit, notauit hęc *Ipolytus Obicius in ſuo tract. de ſero*, dum à ſero nitri ſeparationem per alembicũ vitreum in maris balneo facit, exemplum eſt, ſubſidentiæ in vaſis fundo remanentis ſapor adeò ſalſus, & acutus, vt nitrum ęquet, hoc autẽ non ab igne generatur, quemadmodũ aliquis * opinatur, ignis enim mixto inexiſtentem manifeſtat ſalem, qui ex *Ariſt. lib. 2. Meteor. cap. 3.* excrementum incoctum eſt, tum in ijs quæ aduruntur, tum in alimento, quia à calore minimè poteſt euinci, in illis quidem

dem cinis, in hoc superfluitas dicitur, quapropter Franciscus Vicomercatus declarat, in concoctione alimenti in corporibus animalium, & in rerum adustione aliquid sēper remanet, quod caloris concoquentis vi euinci non potest, in illa quidem excrementū in hac verò cinis, quod vtrumq; salsum est, igitur si sal nulla ratione ab igne euincitur, quomodo ipsius faciet generationem, quæ *Arist. lib. 1. de gen. & corrup. cap. 3. tex. 20.* est corruptio existens alicuius, & alibi *lib. 5. Phys. cap. 2. tex. 7.* esse mutationem ex non subiecto in subiectum protulit, quarè cum ab igne sal non generetur, reliquum est, vt prius inexisteret mixto, aderat quippe, nam in cunctis elementatis corporibus sal ad constitutionem, seu conseruationem concurrit, estq; maximè terreum

E sic-

ſiccum,& calidum, qua ratione ab igne non poteſt domari, nó hæc repugnant dogmatibus *Ariſt. lib. 4. Meteor. cap. 3.* qui ex quibuſcumq; humidis nitrum, & ſalem fieri dixit, ſalem igitur ſiue inſuperabile excrementum ab igne valido agente, ſiue quid ad corporis conſtitutionem concurrens ponas, ipſe ab humido aqueo in animantis corpore ſuperabũdante ſolutus, tamquam inutilis, ac nutritioni minimè aptus per vrinarios meatus propulſatur, qua motus ratione *Ariſt. lib. 4. de part. animal. cap. 7.* vrinam ad veſicam expulſam, ſalſuginem quandam terrenã in vaſis fundo ſubſidentem deponere dixit, non diſſimili modo de ſero credendum eſt, quod idem in ſpecie cum vrina exiſtés ſuam quoq; ſubſidentem ſalſedinem neceſſariò habebit, quarè mirum in

modum

modum Obicius laudandus erit, qui à sero non exiguam nitrosi, & salsuginosi excrementi portionem per distillationem separat, per distillationem inquam in balneo maris, vel roris, quę teste *Gebro lib.1. sum. perfect. par.4. cap. 50.* mansueto igni, & æquali perficitur, vnde absq; cuiusuis adustionis suspicione, partes humidæ, vt inquit Porta, in vaporē à calore resolutè à frigore, & constipatione occursantibus in liquorem vertuntur, his rationibus non quiescens aliquis, * subsidentiam seri non nitrosam, sed partem caseosam, quæ adhuc sero inerat se vidisse affirmat, fatetur nihilominus saporem sic salsum habuisse, vt sal, aut salnitrum dici potuisset, verum negat prius in sero extitisse, quin potius ex adustione genitam fuisse probare contendit, immo expe-

rimentum addit de seri extillati fęcibus, quibus humor, ab ipsis iam extractus, iterũ superinfusus, acriorem, quam antea nactus fuisset, saporem habebit, vnde ab adustione in distillatione salsedinem, quæ prius non inerat, acquisiuisse, probare conatur, verum nõ probat, probat verum contrarium illi *Aetius serm. 2. cap. 96.* qui inter partes serii hæterogeneas, crassas, & pituitosas superfluitates, dum eas aceti irroratione separare docet, agnoscit, crassa autem, & pituitosa substantia salsiginosum seri saporem hębetat, vnde non mirum si serum in propria forma, quæ *Arist. lib. 2. Physs. cap. 6. tex. 15.* est natura permanens, salsedidem suam in actu valenter non promat, verum depromit, sensumq; nitrositate sua acutum lingue infert, si post separationem supradictã, iterum

iterum seri extillatus humor, & subsi-
deutia insimul confundantur, an quia,
vt admonet vir excellentissimus For-
tunius Licetus Phylosophus eminētis-
simus, in omni doctrinarũ genere eru-
ditissimus, moribus, & animi ingenui-
tate nemini secundus, meiq; olim præ-
ceptor amantissimus, in *lib. 3. de vita*
cap. 16. ex *Arist. placito lib. 1. de part. anim.*
cap. 1. forma mixti anima carentis tem-
peramētum est, in distillatione autem
quia partes ab earum compage soluun-
tur. quis formæ, seu temperamẽti pro-
prij corruptionē negabit? (quę ex *Arist.*
lib. 5. Phys. cap. 1. tex. 4. est mutatio in id,
quod non est, quamuis ex eo, quod
est, mutetur quod corrumpitur) nemo
sanè, serum igitur cum per distillatio-
nē forma innata destituitur, illam am-
plius integrè vlla arte denuò adipisci
 nequit,

nequit, quarè dum iſte naturalium rerum * inſtaurator, & fabricator, iterum ſeparatas partes in vnum colligere quærit, ab opere deluditur, arti enim ſi natura imitationes aliquas dedit, ex *Ariſt. lib. 2. Phyſ. tex.* generationes naturales prorſus negauit, propterea quando ſeri diſtillatus humor fęcibus, à quibus fuit extractus, ſuper infunditur, tenuitate ſubſtantiæ ſuæ, totam ſalſedinem, ſoluendo, induit, ſal enim ex *Ariſt. lib. 4. Meteor. cap. 3.* ab humido frigido ſoluitur, craſſa, & pituitoſa ſubſtantia viſciditate ſua in vaſculi fundo non ſoluta remanente, à qualitate cuius, cum amplius humiditas ſeri non hębetetur, ſalſedo per conſequens magis ſentitur, eadem certè, quia nullum ab igne quãtitatis, vel qualitatis augumentum acquiſiuit, hoc valdè conſętaneum eſt

Galen.

Galen. lib. de Ther. ad Pisonem, qui à viperis combustis salem extrahi docet, salem viperarum inquam, qui prius in carnibus illarum absconditus, ab igne, heterogeneas partes disgregante, manifestatur, vnde tot dotes, tot virtutes illi tribuit; sic de maris salsedine sentire videtur *Arist. lib. 2. de plant. cap. 1.* vbi, sol dulcis humiditatis partes siccat, remanetque, quod de genere terræ est, & eodem modo de salsedine aquarum maris est intelligendum, radix enim omnium aquarum dulcis est, nec accidit eis salsedo aliter, quam prędicto modo, vnde idem *Arist. lib. 23 probl. 30.* mare in superiori parte salsius reperiri quã in inferiori, quia sol partẽ superiorem assidue trahit, qua ratione fortasse *Plutarc. in lib causarum naturæ*, maris aquas hyemali sydere minus sentiri amaras

gustantibus asseruit, par quoque, & eadem ratio de pituita dicenda est, in qua vi caloris, subtiliori parte euaporata, salsus sapor non gignitur, sed prius in dispositione existens manifestatur, Verum Mesues, quia non nitrum, sed nitrosas partes habere serum dixit, hinc idcircò * quidam dubitãdi occasionem sumit, asserens, quod nitrosę partes appellantur, non quia nitri substantiam in se habeant, sed quia detergente dumtaxat qualitate, nitri qualitatem imitantur, reddit rationem, quia nitrum terreum est, graue, ponderosum, ac proinde subsidet, nitrosum verò subtile est, at iste excusatione dignus est, nõ enim scribens animaduertebat, inter nitrum, & nitrositatem haud esse substantię, sed accidentis mutationem, nitrum enim cum ab humido, nõ autem à quolibet,

vt *Arist. lib.4. Meteor. cap.3.* dicit, sed frigido soluatur, id humidum, & frigidum denominatiuè dicetur nitrosum, denominatiua enim ex *Arist. lib. pręd. cap. proprio*, dicuntur quæcumq; ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem, vt à fortitudine fortis, hoc clarissimè exprimit idem *Arist. lib.5. Phys. sum.3. cap.1. tex.48.* dicẽs, atq; dicitur vnusquisq; eo in quod mutatur magis quam eo, ex quo, summopere igitur laudandus Obicius erit, qui dum serum nitrosum considerat, ipsũ pro aluo ducenda in magna quantitate sumendum laudat, dum verò pro alterante instituit per extillationem à nitrositate depuratum in pauca quantitate prębet, atq; id sũma ratione considerauit, aqua enim salsa, vt *Auic. lib.1. fen.2.doct.14.* decreuit (pro alterãte sum-

pta

pta intelligitur) corrumpit ſanguinem, & pruritu[illegible] ſcabiem generat, verum quidam * iterum arguit, quia ſal, & nitrum à putredine conſeruant, & magis appoſite forſan dixiſſet, ſi *Serapionem in agregatorio cap. de ſale.* conſuluiſſet, vbi habet, ſal eſt de maximè præſeruantibus à corruptione, eius enim virtute exſiccáti, ſuperfluam humiditatem abſumendo, putrefactioni reſiſtit, inditio ſunt carnes, piſces, & alia ſale condita, quę incorrupta diu ſeruantur, huic ſatisfacit non exigui nominis Auctor Iacobus Foroliuenſis, quod aqua ſalſa non corrumpit ſanguinem corruptione putrefactiua ex ſe, niſi quantum reddit ipſum odioſum, & deſtitutum à regimine naturæ, ſed corrumpit ipſum corruptione declinãte ad aduſtionem, tollens à ſanguine dulcedinem nutri-

men-

mentalem,& dans ei mordacitatem supercalefactiuam, & exsiccatiuam similem his, quę cholerę rubeę insunt, cum igitur salsa, sanguinem, eo modo, quo dictum est, vitient, serum pari ratione minimè distillatum, pro alterante, minimè recipiendum erit.

Quid est, quod ascendit in distillatione, quid etiam, quod subsidet.
Caput VIII.

DIstillatio, inquit *Syluius lib. 3. de comp.med. cap. proprio*, est humoris alicuius à planta, animali terreo, vi caloris facta, extractio, qui humor sui mixti tenuior pars cum existat, non tamen calidus censendus est, sed plerumq; frigidus, vt in sero videre est, quod extillatum suum, odorem,

rem, & saporē imminuit, insipidumq; fere remanet, quæ verò istius modi sunt frigida pronuntiat *Galen. lib. 2. de alim. fac. cap. 68.* nec sibi contrarius est, *lib. 10. Meth. cap. 9.* vbi substantiam tenuium partium exactè frigidam non inueniri dixit, quandoquidem acetum tamquam homogeneum ibi considerat, idq; plane declarat, vt supra notatum est, *lib. 1. de simp. med. fac. cap. 17.* vbi aceti partes intuens, subtiles frigidas, terreas verò, veluti fęcem, calidas constituit, præterea *Galen. lib. de vtil. respir. circa finem*, quod ab Arist. desumpsisse fatetur, idem confirmat, inquiens, in quadam regione vinū suspensum ad ignem in vtribus indurescit in modum salis, euaporante aqua, vnde tenues partes in distillactione extractas calidas perpetuò * afferentem, circa perpetuæ

veri-

veritatis Theoremata non rectè ratiocinatum fuisse, clare patet, ne tamen penitus contrarium credatur, consulatur *Porta in Magia naturali lib 10. cap. 21.* vbi sic habet, in mixto quatuor sunt elementa, sed vnum sæpe prædominans, alia vt inutilia hebescunt, vnde cum elementa mixti separari dicimus, plerumq; hoc vnum intendimus segregare, in nimphea aquæ elementum prædominatur, aer, ignis, & terra pauca sunt, vnde siccitatis caloris pauca, vel nulla quantitas, sed aqua obtundit omnia, secus in cinamomo, & cariaphyllis accidit, quod in distillatione extrahitur tum in sapore, tum in odore calidum est igni respondens, qui in hoc mixto in subtiliore parte consistit, contrarium euenit absyntio, sapore amarissimo, cuius pars ignea terræ magis inheret,

hęret, aqua idcircò dulcis elicitur, eiuſdem amaritudine in ſubſidentia remanente, hoc norunt mulierculæ, quæ ad puerorum lumbricos per infernas partes propulſandōs, nō aquam ſtillatitiam abſyntij, ſed eiuſdem comam torrefactam circa ſtomaci regionem imponūt; non diſpari ratione Andreas Libauius optimus dogmatico hermeticus, *com. Alchim. par, 1. lib. 3. cap. 18.* licet ibi non agat de ſero, tamen de Lactę ita loquitur; ſic ergo in tres partes diremptum Lac eſt, nempè aeream, cum qua eſt & ignea, quę ſeparari poteſt diſtillatione, poſtea aqueam, & tandem terream quam caſeum vocant, ſicut aquam ſerum, non tamen credas hoc * figmentū cuiuſdam, in diſtillatione primum egredi ſubſtantiam igneam, quia etſi dicat poſſe ſeparari, non idcircò primam

egredi

egredi concludit, quin potius Libauius contrarium dicit, *lib. 3. de exemplis elem. Chymicor. cap. 35.* vbi hæc verba habet. Lactis resſolutio in cremorem, caſeum, & ſerum, quorum primum commune eſt igni, & aeri, continetq; nonnihil aliorum duorum, ſecundum reſpondet terræ, tertium aquæ, qualis eſt ſeceſſio muſti, ſauguinis, & omnium ſimilium ſuccorum, omnibus ruſticis nota eſt, quamquam non ſit nota accommodatio & ſcientia, Chymici verò eius membra non tantum exactius, verum etiam ingenioſius ſecernunt, nam Rogerius Lac calens ex animali infert in alembicum, & diſtillat in balneo, vt roſacea, elicit primò liquorem clarũ, quem vocat aquam, deinde aliam partem, quæ in colorem citrinum vertitur, & pro aere habetur, remanente terra nigra,

hacte-

hactenus Libauius ſuus, qui primò a
quam, deinde partem aeream, & cali
dá in diſtillatione haberi docet, at grati
cõcedamus in Lactis extillatione priu
partem igneam conſpici, non tamen
ſeri partes calidas extillari concluden
dum erit, & Libauius non contradicit
nam ibi tantũmodo diuidit Lac in ſua
partes, ſcilicet caſeoſam, ſeroſam, & ae
ream, ſiue igneam, quam tum ratione
ſubſtantiæ, tum ratione qualitatis bu
tyrum eſſe ſcimus, quod vt *Auerr. lib.4.*
Meteor. inquit, maximè aereas habe
partes, atq; poſſe illud extillari probat,
& docet *Rubeus in lib. de diſtill. ſect. 2.*
cap. 10. præterea Ioſephus Quercetanus
in ſua pharmacopea dogmaticorum re-
ſtituta volens abſq; diſtillatione ſerum
pro alterante in pauca quantitate exhi-
bere, prius ei ſuccos, & limonũ, & re-
dolen-

dolentium pomorũ addit, deinde cum ouorum albumine clarificatum præbet, tali namq; elaboratione eiuſdem ſalſuginoſa ſubſtantia, partibus craſſis, viſcidis, & excrementoſis ſpoliata, ſubtilior reddita, medicatam ab additis ſuccis, aquam facilius ad viſcera peruenire facit: ſalem enim alimenti vehiculum laudatiſſimum eſſe, cuique notum eſt.

An ſerum in febribus conueniat. *Caput IX.*

QVandoquidem, de ſero in febribus exhibendo, agere breuiter animus eſt, febrium autem cum non vna ſit ſpecies, ab hectica ordiemur, in hac certe nullo modo conuenit, nam ex *Gal. lib. 3. de alim. fac. cap. 15.*

& 17. mente non nisi pro purgante adhibendum esse probatum fuit, arguet tamen aliquis, * Lac Asinę conuenit, ergo serũ potissimum recipiendum erit, probasse credit auctoritate *Galen. lib. 10. Meth. cap. 11.* qui inquit conuenire in hectica febre Lac Asininum hoc non negatur, negatur tamen, vt illo proprio * marte addit (quia plurimo abundat sero) loco enim citato hanc additionem non fecit *Gal. qui lib. 10. de simp. med. fac. cap. de Lacte*, quando asserit Lac Asinæ tenue esse, & serosum, non tamen ibi propter serum hecticæ cõuenire ex eiusdem verbis clarum est, inquiens, ex Lacte Asinæ non conficitur caseus, nam id plane tenuè est, & plenum humoris serosi, non igitur, ratione seri abundantis, Lac Asinæ pro hecticis simpliciter laudatur, sed quia

parte

parte pingui, seu butyrosa caret, hoc fuit *Auic. lib. 4. fen. 1. tract. 3. cap. 5.* notum, qui Lac Asinæ magis infrigidare, ait, quam Lac vaccinum, à quo est extractum butyrum, cuius ratione Lac caliditatem participare scimus, nam, vt inquit Ioannes Costęus, non omnis Lactis acrimonia ex sero est, cum illi butyrum quoq; insit accensu facillimũ, ob idq; non aeris tantum, sed etiam igneæ naturæ particeps, verum de Lactis temperamento in præcedentibus capitibus abundè diximus, de sero adhuc, cuius volens quidam frigiditatem probare contra eos, * qui id calidum tenēt, primò Lac ex partibus hęterogeneis inuicemq; qualitatibus contrarijs cum Galeno constituebat, mox verò talem syllogizandi formam sumpsit, propter quod vnumquodq; tale est,

& illud magis, ſerum eſt calidum, & e: pars Lactis, ergo Lac eſt magis calidũ arguebam de forma ſyllogiſmi monſtruoſa. Vnde ſecundus pullulauit error, dicens Lac Aſinarum inter omnia magis humidum eſſe, minorem acrimoniam habere, quod verum eſſe fatemur; at per conſequens minorem nitroſitatem continere negatur: nõ enim penitus à ſeri nitroſitate talem acrimoniam acquiſiuiſſe concludendum, ſicut iam (ex Auicenna, & Coſteo) probatum eſt, & hæc de hectica febre ſatis, in qua nulla ratione ſerum conuenire liquidò conſtare poteſt, neq; in alia febre, niſi pro aluo ſubducenda eo vtebantur veteres, teſte *Gal. lib. acut. com. 4. tex. 7*, qui in cura Cauſi in libro de victus ratione in morbis acutis, qui vnus eſt, non quatuor libri (vt aſſerit * quidã)

ſeri

eri vice persępe Hippocrates Asinino
acte vsus fuit, vt quod, testante *Galen.*
b.3. de alim. fac. cap.15. magis per aluum
eijcitur, quia multum serum habet, à
uo Lac omne facultatem accipit deij-
iendi, sic idem *Hipp. lib. vt supra tex.29.*
ro purgatione Lactis Asinæ cocti bi-
endum dat hęminas duodecim, scili-
et vncias centum & octo, & si virtus
l toleret, vsq; ad sexdecim, quæ libras
uodecim explent, verum inquisitio-
e dignum videtur, cur pro purgando,
ac coctum frequenter Hippocrates
surparit magis quam nō coctum, for-
sse solum ad flatum remouendum,
t voluit Galenus? an etiam quia in
bullitione, dum coquitur, aqueo hu-
ore euanescente, in minori quanto
lsuginosa qualitas redacta intensius
perari potest, vnde *Conciliat. differ.146.*
 dicit,

dicit, ſicut & in decoctionibus natura-
libus, quæ interius, ita & in artificiali-
bus, quæ exterius, cum ars ſit naturæ
imago, nam per vlteriorem coctionem
accidit amaritudo, quę *Ariſt. lib. 20. pro-
bl. 25.* ex ſale congregato producitur, ſa-
lem verò in cunctis naturaliter eſſe mi-
tis perſępe probatum eſt, addit *idem
Conciliat. loco citato, vt ſupra*; nam quan-
do amplius decoquitur, incipit humi-
dum ſubtile comixtum ex aqueo, & ae-
reo exhalare, & ſalsũ redditur, ſero igi-
tur cum veteres non niſi pro aluo du-
cenda vſi fuerint, Obicius tamen inge-
niosè admodum ad alterandum tum in
febribus, tum ad hępatis particularem
intemperiem calidam remouendam
tuto, ac iocunde per extillationem de-
puratũ ſuis ęgrotantibus obtulit, haud
pertimeſcens acrimoniam, quam qui-
dam

dam * imaginatus est, & non semel prędicauit, tum in sero, tum etiam in puteali aqua per vitreum instrumentū in balneo roris, eductis comparari, rationem affert, quia ex nimia ad ignem mora, empyreuma liquores distillati acquirunt, atq; distillantis caloris calefactionem asseruant, hæc verò minimè consistere iam probatum est, nam distillatio (alias diximus) per balneum roris cum ope blandissimi caloris perficiatur, non potest empyreuma relinquere, quod à valido, & plerumq; adurente calore inducitur, *Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 2.* auctore, *& Galen. lib. 9. simp. med. fac. cap. 1.* id confirmat, dicens combustorum omnium nullum est frigidum, relinquitur enim in illis velut empyreuma hoc est ignitio quædam, si igitur & serum, & aqua putealis dum

in diſtillatione per balneum roris nullum, neq; aduſtionis odorem, neq; ſaporem alienum præſeferunt: quomodo empyreuma conſeruant? quod etiã calor ignis aquã, dum diſtillatur, ebullire faciens euaneſcat, diſcere potes ab *Auicen. lib.1. fen.2. doct.2. cap.3.* qui dixit, aqua efferuefacta magis frigeſcit, & facilius congelatur, quia in ebullitione rarior euadit. raritas autem eſt cauſa, quod qualitas frigida facilius penetret, ſic etiam facilius ob eandem raritatem frigefacta citius calorem recipit, quare *Gal. lib.6. de morb. vulg. com. 4. tex.10.* docuit, cũ aquam frigidiſſimam reddere voluerimus, ipſam aquam prius calefaciendã eſſe, nam quodcumq; prius calefactum à vicinis in ſe totum alterationem promptius ob raritatem admittit, cum igitur ebullitionem faciens ca-


lor

lor in aqua haud remaneat, nam tunc per accidens calida dicitur *Arist. lib. 2. de part. anim. cap. 2.* videamus quid sibi velit *Conciliator differ. 194.* vbi sic habet, aquositas Lactis quandam ... acuitatem abstersiuam acquirit per longum iter calefacta, quo graditur ad pulmonem, cũ subtilis sit substantiæ impressionis leuiter susceptiua cuiuslibet: substantia enim subtilis citissimè permutatur; aut cum sua frigiditate aquosa quiddam habet acuminis in dictis particularibus. locum istum aliquis * citat, sed non bene adduxisse videtur, quia cum auctor dicat Serum alterationem suscipere per longum iter quo graditur ad pulmonem, iste tamen à Conciliatore discedens in ipso pulmone, qui à *Gal. lib. de anat. viuor. cap. de arter.* frigidus statuitur, caliditatem esse in-
gen-

gentē opinatus eſt, caliditatē inquām, qua acredo, & nitroſitas ſero cōmunicetur, at de his hactenus, Conciliator fatetur acrimoniam, ſeù nitroſitatem innatá ſero eſſe, ac poſſe aliquam acrimoniam abſterſiuam, hoc eſt gradū maiorem abſterſionis acquirere, quod mihi probatur, tenuis enim ſeri humiditas per longos, ac multos ſtrictos anfractus corriuat, antequam pulmones attingat, in tali verò latione, quis per additionem alicuius ſalſuginoſi excrementi, non poſſe aliquam intenſionem recipere ambiget? cum ſubſtantiæ ſubtilis facili negotio quamlibet ſalſedinē recipere poſſit, at quid *Joanni Collio in ſuo coſmit. medic.* reſpondebimus, qui ſerum diſtillatum in tertiana febre tantūmodo eum cicoraceis alteratum admittit, verens acrimoniam eius, cuius

ali-

aliquam portionem quandoq; in distillatione posse acquirere fatemur, tum serum, tum aqua putealis, at non ignis ebullitionem agentis, verùm potius plumbeorum ductuum, per quos stillans humor fertur, culpa erit, propterea *Galen. lib. 7. de comp. med. sec. loc. cap. 2.* dixit, aqua, quæ per plumbeos canales deriuatur, fugienda est: limus enim quidam ex plumbo in ea continetur, vnde qui aquæ huiusmodi fæcem combibũt disenterici euadunt, secus autem dum in vitreis vasis per balneum roris humores extillantur, nullum enim alienum odorem, neq; saporem cum adipiscantur, neq; etiam vllius acrimoniæ participes censendi erunt.



De

De sero exibendo in affectu non febrili. Caput X.

PRæsidia, per indicationem ab ipsis quidem affectibus contrariæ illis temperaturę, inuenienda esse, docet *Gal. lib. de comp. med. sec. gener. cap. 6. & lib. 2. Aph. 22.* & persæpè proclamat, quarè serum, cum ex partibus calidis constitutum sit, vt possit, calidos affectus retundere, & refrigerandi facultate polleat, ad extillationis examen reuocandum erit, cuius ope, à calorifica, & salsa parte denudatum, tuto etiam in febribus poterit administrari; crediderunt aliqui, * serum sub dio, per integram noctem, aliquas subtiles partes deponere, quod nequaquam recipitur, tum quia frigidum, ex *Arist. lib. 2. de gen.*

& corrup.cap.2. condensat, frigidum inquam mediocre (non gelascens, vt hyberno tempore accidit) tum quia, ad subtilium partium euaporationem, caloris actio requiritur, vnde *Arist. lib. 2. Meteor.* ait, solis virtute, id, quod dulcissimum, & tenuissimum quotidie effertur; secerniq; & in vaporem mutatum superiora petere, videtur; illic autem rursus, ob frigus concretum, ad terram iterum defertur, idq; natura hoc modo perpetuò facere instituit, *Pontanus in sua Meteorologia* perbelle hoc cecinit,

Terra etiam duplicem exalat saturata vaporem,
Humidus hic, crassoq; madens se corpore vix fert,
Aridus & calido suffimine prosilit alter,
Accipit hos latè in gremium circumfluus aer.

Et

Et Hippocrates, ante omnes, in libro de glandulis, omnem humorem calefactum tenuiorem fieri admonuit, at vide quantum aberret, * qui, vt magis humor infrigidetur, subtiliores partes euaporare querit. *Auicen. lib. 2. tract. 1. cap. 3.* dixit, cum medicinarum vna est maioris raritatis, & altera maioris spissitudinis, tunc illa, quę est maioris raritatis, quamuis sit similis alij in frigiditate, & caliditate ipsius, tamen patitur velocius, propter debilitatem sui corporis, fortasse enim raritas est causa in velocitate inflammationis, & est causa quoque in velocitate congelationis eius, propter debilitatem corporis eius, & velocitatem passibilitatis eius, his addo ex *Aristot. lib. 2. de gener. & corrupt. 33.* quod sicut inter ea, quæ similes habent qualitatęs, facilis transi-

us est, ita quæ similem potestate qualitatem habent, eandem facilè actu cócipiunt, & sic patere potest, quod serum tenues partes suas retinens, promptius quoq; ambientis frigiditatem admittet, at de sero extillato iterũ, quod in febribus tuto administrari posse, probat Obicius ratione, & experimento, nam serum cum sit heterogeneum sua natura, alterationiq; obnoxium, facillimeq; corrumpatur, pro alterante nullo modo in febribus concedendum erit. distillatum verò, cum diù incorruptum maneat, sitq; à calidis partibus denudatum tutissimè exhiberi poterit. Sed iterum obijcit aliquis, * in ebullitione ignis caliditatem remanere, hoc negat *Obicius cap. 9.* & probat his verbis (quæ tamen quidam diuerso modo transcribit) cum serum distillatum calidius

lidius esse, ac non distillatum aliqu opinentur, quorum ratio est, quia di stillari nequit, nisi diù incalescat ebul liatque: quomodo caliditatem acquire re autumant? quibus tum sic responde bam, igitur decocta refrigerantia, quæ lia sunt ninfeæ, lactucæ, cucumerii huiusmodiq; alia incassum? quia isthæ longa ebullitione calida fiunt, caliditat temq; in actu non in potentia (dum ebullitio fit) habere, nemo negabit quod persępe confirmat Galenus, & su pra ex *Arist. lib. 2. de part. anim. cap. 2.* pro batum fuit; amoto enim (inquit) igne & ebullitione cessante, quæ erat actu calida, à qua potentiam, quę illi inerat ad actum reducendo, innatam frigidi tatem suam iterum assumit. Sed aliam dubitationem audio, nam in aquis di stillatis, in ea pręcipuè, quæ aqua car

nis

nis ab Auicenna, cōmuni autem voce, pulli ſtillatum dicitur, in quo plerumq; odor veluti empyreumatis perſentitur, licet aliquo temporis tractu euaneſcat, nihilominus vſui medico non omninò tutum cenſerem, nam talis aduſtionis odor contingit, vel à vaſe plumbeo, vel à nimio igne, poſt aquę totius euaporationem fæces adurente, à quibus eleuatę fumidę exhalationes huiuſmodi odorem ingratum imprimunt, hoc eſt *Galen. lib. 1. Aph. 14.* conſonum, dicentė, oportet ſimilem eſſe defluxum ſubiectæ ſubſtantiæ, vt in exterioribus euenit, nam, quæ ex aqua dulci, & calida euaporant, optima ſunt, & vaporoſa, quæ verò ex aliquo corpore ſolido exuſto, fumea ſunt, & acria, at ſecus id euenit, ſi, vt ſæpe diximus, per blandum balnei roris calorem diſtilletur,

nih[il e]nim odoris extranei ſentitur, ta- li[s] pa[c]to cunctæ res extillatæ ſecuriſſi- me adhiberi poſſunt, ſi igitur, dicit ali- quis, * acrimonia in diſtillatione ſero aufertur, erit veluti aqua putei, nec fæ- licius eo vti poterimus, quam ſi aqua vteremur, at obiectioni ſatisfacimus, reſpondendo, quod partes humidæ ſe- ri, contemperandi facultatem haben- tes, dum vi caloris in vaporem eleuan- tur, ſecum omnem ſeri naturam adſer- uant, & ferunt, & in aquam denſatæ idem, quod antea erat, ſerum produ- cunt, pęnitus acrimonia, ſeù caliditate relicta, acrimoniam enim caliditatem ſignificare, dixit *Galen. lib. 9. ſimp. med. fac. cap. de terra ſamia*. ſic ſerum facilio- rem diſtributionem, & coctionem ſor- tietur, hoc probat *idem Galen. lib. 3. de alim. fac. cap. 39.* exemplo mellis, quod

habet


habet acrimoniam, qua aluum ad excretionem proritat, quam certè adimentes ipsum efficimus ad distributionem, & coctionem accomodatius, at quid, quod excretionem, quę mordicatione fit, ab acrimonia moueri dicit Galenus, cum tamen aliquis * in memoriam sæpè reuocet differentiam inter mordacitatem, quæ ad sensum, & acrimoniam, quæ ad gustum pertinet, numquid intestina crassa per continuitatem, quam cum palato habent, sapores & ipsa gustabunt, ex placito fortasse illius? minimè, verum quia Galenus earum vnum ab alio differre vult, nam *lib.4. de comp. med. per genera cap. 1.* dicit, acrimoniam dolor quidam necessariò consequitur, vlceratam partem mordens, at ex *Gal. lib.2. de sympt. caus. cap.5.* mordicatio ab acribus est, quare si se-

rum acrimoniam habere fateris, non expers mordacitatis quoq; ipsum esse fateri coactus eris. Serum distillatum igitur non reijciatur, at laude dignum in medicum vsum recipiatur, quando quidem id tot qui nostri celebres viri extollūt, inter quos Hieronymus Mercurialis *lib. 2. consult. 92.* Petrum Olam dum proponētem tale remedium, laudat, *consult. 5.* Lelius à Fonte, qui in febre ardente id perscribit, ad quantitatem duas libras excedentem, & in melancolia hyppocondriaca *consult. 23.* pariter probat, quod tamen minimè distillatum, *consult. 46.* pro alterante ratione caliditatis, & nitrositatis valde detestatur, *lib. de ingreß. ad infirmos in apendice*, Claudinus distillatum serum pro alterante recipit, Vincentius Crucius vir hodie insignis, *in epist. cent. 4.* aquam

orde-

ordeaceam, vel serũ Lactis distillatum pro attemperando laudat, & subdit, quibus tamen aliqui in biliosorum humorum præparatione cũ timore vtuntur, etiam si frigefactoria facultate polleant, quæ cicoraceę passim dicuntur, eò quod ab igne caliditatem quandam contrahant, quorum superstitio negligenda est, quoniam caliditas, quæ ex igne impertitur non ita post euanescit ab illis, hactenus Crucius, pęnitus Obicio assentiens, qui partem caseosam, seu recocta plenam, maxime vituperat, quia caput tentare, & infarctum facere aptissima existit, satis igitur, & rationibus, & auctoritatibus clarissimorum virorum patet, distillatum serum; pro remouendo calidas intemperies, idoneum præsidium esse, quemadmodum & de communi aqua stillaticia, contra

cuiuſdam * opinionem cõcludendum eſt, hoc Cardanus *lib. de aqua*, cognouit, dicens, aqua diſtillata leuiſſima, atque puriſſima, & ſaluberrima, pluresque morbos viſcerum ſola diſcutit, quod autem in diſtillatione Serum tantũmodo partes ſalſas deponat, cæteras verò retineat, hinc clarè perſpicuum eſt, quia & odoris, & ſaporis, quos prius habebat, non exiguum adhuc retinere veſtigium videtur, durat autem longo tempore, abſq; corruptione, quia vt Scaliger *exercitat. 101. contra Cardanum*, ait, in alembico coaceruata & multa, & diuerſa, & contraria ita miſcet ignis in eo vaſe, quod recipiens dicitur, vt nulla vi præterea ſeiungi poſſit.



Diſtil-

Distillatio an Antiquis fuerit cognita. *Caput XI.*

CVm exactissimè hactenus, Serum non distillatum ad purgandum tantummodo, distillatum verò, ad intemperies calidas, & humidas emendãdas, vsurpari debere, probatum sit, videamus modo, num antiquis distillatio fuerit cognita. quid ni? sic lubet ex eleganti auctore probare.

Plutarcus ait, quod Aegyptus sacra lingua à Sacerdotibus Chęmia vocata fuit, ars autem ipsa iam inde ab Hermete Trismegisto Sacerdotibus Aegiptijs familiaris, Chemię quasi Aegyptię nomen traxisse, fortasse potuit, hanc posteriores Arabes alchimiam, vel vt Cęlius Rodiginus *lib.7.cap.11.* dicit, alchi-

miam cognominarũt, quam inter omnes Teophraſtus Paracelſus, empedoclis litem, & concordiam, Ariſtotelis verò formam, & priuationem refellens, ſpagyriam dixit, qua arte, dum pura ab impuris ſeparare contendit, tria ſua principia, mixtum quodlibet conſtituentia, nempè ſal, ſulphur, & Mercurium conſtituit, ſpagyriam profitentes, ſpagirici apellati ſunt, hanc eorum artem exercentes multis, ijdemq; varijs modis, ac nomenclaturis procedunt, quarum pręcipuas breuiter numerare non piget. Audies perſæpe apud ipſos de putrefactione ſermones fieri, quę ex Andrea Libauio *lib. 1. alchim. cap. 23.* eſt reſolutio mixti per putredinem naturalem in calido humido, hanc fortaſſe non ignorauit *Galen. qui lib. 4. de ſanit. tuen. cap. 8. & Syluius de ſimp. med. prepar.*

lib. 2.

lib.2. semen abietis, & flores populi macerando putrefaciunt, & acopa conficiunt, sublimatio verò secundum *Gebrum sum.4.cap.4.* est rei siccę per ignem eleuatio cum adhærentia sui vasis, sic *Dioscor. lib.2. cap.64.* butyri fuliginem pro medicina exsiccanti, *& lib.5.cap.20.* in cadmię confectione facere docet, sic *Gal. lib.9.de simpl. med. fac.cap.de Cadmia,* id asserit, alibi quoq; *lib.8. Meth. cap.6.* confirmat fumum ex semiustis, fuliginem verò ex immodicè assis tolli, cum hæc sit vapor terrenus, fumus autem ex terrestri, & aquea substantia mixtus, *Auic. lib.4. fen 6. tract.1.cap. 9. & lib.2. tract.2.cap.47.* sublimati arsenici meminit, &, quo pacto argentum viuum sublimatione proueniat, describit *Rasis lib.7. ad Almans.*

Corrosio, secundum Libauium *lib.1.*

alchim. cap. 31. est calcinatio per aquas fortes, vel alias medicinas corrodentes, quarum acrimonia penetrat, & secundum minima mixti compagem soluit, sic *Galen. lib. 3. de comp. med. sec. gen. cap. 3.* huius operationis fortasse non ignarus, dixit, acetum tenuissimas crassiorum corporum partes subiens dirimere continuum.

Extractio, ex Libauio pariter, est essentiæ ex corpore per menstruum separatio, vnde oritur tinctura, & postea separato menstruo, vel euaporatione, vel distillatione, corporis essentia in fundo relinquitur, quæ extractum vocatur, huic peculiariter inseruit maceratio, qua ratione Mesues rhabarbari extractum docet, dum aquam, in qua illud maceratum fuerit, calore euaporare finit, quousque in fundo remaneat

corpus

corpus ad mellis consistentiam, quod in pastillos efformatum magnatibus, & diuitibus inseruit, solidorum enim vegetabilium corporum vires affusa aqua imbuit, quod probat *Galen. qui lib. 3. de alim. fac. cap. 32. supra citato*, dum absyntij lupinorum, abrotani, polijq; sapores, & qualitates extrahere docet.

Circulatio Dioscoridi haud videtur ignota, dum *lib. 5. cap. 4.* onfacij confectionem describit, præterea spagyrici stratificant, fumigant, amalgamant, atq; alia huiusmodi ingeniosas manipulationes proponũt, quæ tamen cum supradictorum generũ species existant, non erit pro singulorum declaratione cõterendum tempus, hoc solũ addam.

De distillatione, quæ secundum Iosephum Quercetanum, nõ dissentientem ab Alberto Magno, est liquoris

aquei,

aquei, seù partis humidioris in halitus à calore extenuatio, atq; eleuatio, & frigiditate aeris in aquam cõuersio, cuius causa finalis, ex *Gebro lib. 1. sum. perfec. part. 4. cap. 50.* est purificatio liquorosi à fęce turbida, & conseruatio illius à putrefactione, cuius fortasse non ignarus Hippocrates fuit, qui in *lib. de flatibus* ait, liquefit ergo quicquid ignea vis attigerit, fitq; inde spiritus, qui cum ad meatus corporis irruerit, sudores fiunt, si quidem spiritus compactus in aquam transmutatur, & per meatus penetrans, extra prorumpit, eodem plane modo, quo à feruentibus humoribus vapor eleuatus, si obstaculum habeat, ad quod impingere oportet, pingue fit, ac condensatur, guttæq; distillant ab his corporibus, quibus vapor ipse fuit impactus, quarè audacter *Andreas Cęsalpinus*

lib. 2.

lib.2. de med. fac.16. & 18. affirmat, distillandi artem veteribus quoq; perspectã, & cognitam fuisse, pisselæi, & cedrini olei exemplis, quę dicit, tum fieri, *Dioscor. lib.1, cap.79. & cap.89.* quando expansa supra cortinam vellera (dum videlicet cedria coquitur) frequentibus halitibus madescunt, & exprimuntur, sed & *Arist. lib.2. de plant. cap.1.* sic dixit, quod enim ascendit aliud quam aqua dulcis non est, salsa autem grauior est, nec vnà cum dulci ascendit, quod autem ascendit, id tenuius ex acqua est, cuius rei exemplum in balneis sæpe numero depræhendimus, nam cũ aquam oppresserit calor, attenuabuntur partes eius, ascenditq; vapor, qui in fundo balnei erat, & recedunt densæ partes salsedinis, cumq; multi accesserint vapores, absorbet eos tectum, inde coguntur

gùntur, ſpiſſanturq; & reddit deorſum guttatim ſtillans aqua dulcis. hinc, ſi aliquis * aquam maris per diſtillationẽ minimè dulcem fieri poſſe prędicabit, reſipiſcere poterit, & *Gordonius de ſolutione cont. par. 1. cap. 31.* aquam maris per alembicum diſtillatam dulcem fieri teſtatur, mare enim dulcem humorem habet ſeparabilem, dixit *Ariſt. lib. 23. probl. 17.* ſic *Auic. lib. 1. fen 2. doct. 2. cap. 10.* dixit præterea diſtillatio aquas rectificat malas, ſi igitur, dicit aliquis * diſtillatio veteribus non fuit incognita, cur Galenus, cur Auicenna, cur Meſues ſerum Lactis per diſtillationem non depurabantur? an quia, vt ſupra probatum fuit, ad euacuandum tantummodo inſeruiebat, an etiam quia tempus doctius perpetuò, & prudentius quoq; ex progreſſu continuò fit, vt ſeneſcens iu-

dicio

dicio sit acriore solidiore; ac maturiore, hinc necessitas scribendi cōmentaria, teste *Galen. lib. 1. Aph. com. 1.* vt posteriores nostris semper aliquid superaddētes, facile doctiores nobis aliquando euadant, neq; recipiendum fortasse, quod ex Argyropolo docet Acciaiolus in ethica *Aristot. lib. 1. cap. 6.* ob id antiquos veritatem aliquam sciuisse, quod fuerint rerum primordijs, & naturæ propinquiores, si enim antiquitatem, vt ait venustus auctor, non ex hominum ætate particulatim, sed temporis partium varietate nuncupemus, nos Hippocrate, & Galeno sumus antiquiores, alij sūt, qui in prouecta * ętate, ex longo vsu doctiores vulgo creduntur; prę arrogantia indelebile vitiū contrahunt.

Sic Hippocrates *lib. de veter. Medicina* dicit,

dicit, homo ab initio fructibus, herbis, ac fæno, veluti boues, & equi, pro cibis vtebatur, ob necessitatem autem alium cibum magis naturę conuenientem inuenit, ex tritico enim panem parauit, quarè, noua semper inueniri posse non erit diffidendum, nam ijs, qui discere volunt (inquit *Cicero lib.1. de nat. Deorum,*) obest plerumq; eorum auctoritas, qui docere profitentur, quia desinunt suum iudicium adhibere, vnde cum Poeta lyrico, neq; iurare in verba magistri, &c. His tandem dicterijs modum facere decreueram, sed iterum aliquis * opponit, ad alterandum nequaquam idoneum esse Serum distillatum, nam id, vel humectatione, vel frigiditate alterare valeret, de frigiditate quid sibi * velit, nondum explicauit humectatione, inquit, non erat conueniens

sub-

substantiam distillatione adeò subtilem reddere, quæ cito transiret, quippe ad humectandum tempus exigitur, hoc autem, asserit, esse ex mente Galeni, qui tamen penitus contrariũ pronuntians, phylosophicè cum Hippocrate loquutus est, *lib. 5. Aph. 26.* qui dicit, aqua quæ citò calefit, & citò refrigeratur leuissima est, quod est subtilitatis indicium, & Galenus cõmentans, ait, grauitatem aquæ non ad lancis pondus iudicandam, sed quia ventrem non grauat, & quæ citò permeat, sicut e contrario; quę citò non permeat, grauis vocatur, ic alibi *lib. 1. de sanit. tuend.* inquit, si uæ pura lympidaq; est, & visui proatur aqua, nec potu insuauis sentitur; ihilosecius tamen circa præcordia heeat, hæc talis aqua vitiata est, quinihò idem Galenus, aquam debere citis-

ſimè penetrare, ex Hippocratis mente ſtatuit, *lib. acut. com. 3. tex. 40.* ſic Aetius modum probandi aquas docens, ait: *in tetr. ſerm. 3. cap. 175.* optimam experimur aquam celerrime calefieri, & frigefieri, facillimeq; carnes, & reliqua omnia coquere, propterea & cibos bene in ventre conficere, quæ fortaſſe desumpſit ex *Gal. lib. 6. epid. com. 4. tex. 10.* non tamen negatur, aquæ leuitaté lancis examine venari non poſſe, quod *Paulus Aegineta lib. 1. cap. 50.* teſtatur, hoc tamen per rarò accidit, nullo enim penè momento ponderis inter ſe diſtant aquæ, teſte *Plinio lib. 31. cap. 3.*



Quid

Quid iuxta recentium Spagyricorum doctrinam, de ſeri diſtillatione ſit ſentiendum. Caput XII.

ADhuc plura, tum in hoc negotio, tum etiam in alio huius parum abſimili ſcribere penſitaram, verum, quia Sereniſſimæ Hetruriæ Celſitudines, quorum ſeruitio addictus maneo, iubent, paucis, vt infra diebus Germaniæ iter ſumam, in aliud tempus differo, ſat erit, ad præſens aliquid de ſale addidiſſe, quem Paracelſus adeò magnifacit, vt ex tribus ſuis principijs, hunc mixtorum omnium primordium eſſe, indeq; naturá in cuiuſlibet generatione ordiri aſſerit, quarè ſatisfaciamus ei, qui * Paracelſiſta nomine profitetur, & nihilominus hæſi-

tat in eius esse, nam idem persæpesuis statutis non obsequens semel terreum grauemq; ac subsidētem esse prædicat, semel verò suis principijs haud inhęrens, non amplius terreum grauem, ac subsidentem, sed igneum, leuissimum, atq; alatum agnoscens ipsum ad ethera volare facit, quis igitur non rideret? si Philosophorum principia tenere quis velit, vtiq; salem subsidere ex *Arist. pluribus in locis Meteor.* iam supra probatum fuisse cognoscet, verum aliquis * ex Paracelsica turma dupliciter salem considerat, fixum, & volatilem, & ego hoc admitto, nego tamen, dum Serum distillatur, quod aquosi vapores secum quidquam salsędinis ducant, hoc *Arist. probat lib. 21. probl. 5.* vbi salem esse aqua grauiorem, & persæpe, quod dulce in aqua est à calore actum superiora petere,

re, salsum verò subsidere asserit, *& lib. 3. probl. 16.* salem ab igne indurari testatur; sic pariter *lib. 23. probl. 17.* quę *Bonamicus lib. 3. de alimen. cap. 27.* recipit, dum aqua coquitur, partes heterogeneę segregantur, quæ postquam refrigeratæ fuerint, in sua loca quęquę contendunt, & portio salsa, quæ crassior est, subsidet; *Gal. lib. de vtil. respi. circa finem*, ait, sal genus terræ est, estq; sal terra incensa, quod probat Aristoteles ex eo, quod, quibusdam calamis incensis, & incineratis, fit sal, si mixtus fuerit aquæ, & eadē aqua bulliat ad ignem; quibus sic constitutis, quis prudens aquam maris, vel serum Lactis, in distillatione dum in vapores eleuātur; salsuginosas partes ducere, affirmare audebit? in distillatione inquam per balneum maris, vel roris, in qua lenis temperatus, ac benignus

ignis calor, abſq; ebullitione ſenſibili aquam agendo, reſolubile ad auras impellit, terreo autem, & ſalſo in fundo remanẽte. at dicet aliquis * Chymiaſtra ſe aliquando ſalem ſublimatum vidiſſe, verùm quomodò iſte ſal ſublimatus fuerat? non ipſum prius in aqua ſoluendo, verum optimè exſiccato, atq; ad terræ conſiſtentiam, redacto ignis validiore tormento partes hæterogeneas comburentis fuligines aſcendentes rei aduſtæ, partes ſalis tenuiores, iuxta Chymicos verò Mercuriales, ſecum vehunt, tum fuligines euaneſcunt, ſal autem incombuſtibilis, ſua natura, denſatur.

Quapropter *Ariſt. 23. probl. 9.* ſalem, (nam ſimplex nobis non inuenitur) corpus hęterogeneum conſiderans, dixit, ineſt aliquid pinguis in ſucco ſalſo,

indi-

inditio, quod die tepidiore oleosum quiddam secerni videmus, vnde si sal inflammetur, & aduratur, facilè possunt fuligines impulsæ secum partes salis subtiliores aduehere, probari quoque potest ex *Arist. lib. 2. Meteor. cap. 3.* vbi exhalationem siccam salsedinis caussam ponit, exhalatio autem huiusmodi ab adustis gignitur. Verum si Aristotelis conuersatio * non placet, audiatur *Albertus Magnus in suo tract. alchym.* dicens, & à Gebro desumpsit, sublimatio est rei siccæ per ignem eleuatio cum adhęrentia sui vasis, Auicennę verò est eleuatio partium subtilissimarum à partibus fixis, ecce igitur, quod à materia sicca, & fixa fit sublimatio, non autem ab humida, quemadmodū * aliqui Paracelsum suum non benè intelligentes credunt.

Non adhuc ſatisfecimus, * cuidam
qui omnia per filtrationis artem ſepa-
rari poſſe contendit; atq; in colatorij
filtro ſalem remanere ſibi perſuaſum
habet, vnoq; verbo omnia tranſcolan-
di inſtrumenta eadem cum vaſis diſtil-
latorijs eſſe affirmat; audiat *Auicen. lib.*
fen 4. doct. 5. cap. 7. dicentem; eſt etiam
cum ex lana retorta fit lychinium, cuius
vna extremitas in vas plenum ponitur,
altera in vas vacuum, & guttatim aqua
ad vacuum dilabitur, & eſt clarificandi
modus idoneus, videas igitur, quod vir
iſte * opinatur, filtratio, & diſtillatio non
ſunt vnum, & idem, hæc enim eſt par-
tium mixti naturalium ſeparatio, illa
verò eſt rei accidentalis ablatio, & cla-
rificatio apellatur; hoc exemplo clarius
alicui manifeſtum euadet, ſoluatur vi-
triolum in aqua pura, hæc euadet colo-
ris

ris viridis, in fundo ſubſidebit quid terreum, & impurum, accidentaliter vitriolo additum, adaptet ille idem linguam bubulam, ni malit bibulam, nam vtrumq; valet, lingua bibula in eadem aqua viridi vitriolo pregnante conijciatur, hęc, relicta in fundo terra, deſcendet in aliud vacuum vas cum tota viriditate ſua limpidiſſima, & hoc ſi centies reiteretur, nunquam tamen hac ſua (vt ille falſo credit) diſtillatione viriditas, ideſt vitriolum ſolutum ſeparabitur; ſic euenit de aqua ſalſa, quæ tali ſuo magiſterio elaborata nunquam ſalſedinem deponet, quarè, neq; Seri ſalſedo hoc ſuo ingenio ſeparabitur; at diſtillatione, ſeù ebullitione ſecus euenire videmus, nam euaporãte ęo, quod eſt in aqua dulce, vitriolum iterum in ſuos lapillos concreſcit, ſal verò omnis

densatur, & durescit, sic Serum distilla-
tum salsuginosas, & crassas, & viscidas
partes deponens, propriam, & inna-
tam frigiditatem, & humiditatem for-
malem conseruat, quibus cum tuto,
cito, ac iucundè, morbosæ in-
temperaturæ, tum siccæ,
tum calidæ aufe-
runtur.

FINIS.

IN-



INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

B

C

Con-

Facul-

F

G

I

L

M

N

O

Pin-

P

R

S

San-

vim

Spa-

FINIS.

Il molto Reuerendo Sig. Antonio Nelli Canonico Fiorentino si contenti vedere se in quest'Opera si contenga cosa alcuna, che militi contro la Pietà christiana, ò li buoni costumi, con farne quì in piè referto. Il dì 22. Agosto 1631.

Piero Niccolini Vicario di Firenze.

Reuerendissime Domine, vidi, ac perlegi huiusmodi opus, in quo nihil cōtra Fidem, Pietatem christianam, seu bonos mores inueni; in quorum fidem manu propria scripsi. Die 23. Augst. 1631.

Ego Antonius Nellius Canonicus Florentinus.

Imprimatur Florentiæ ordinibus consuetis seruatis. Die 31. Augusti 1631.

Petrus Nicolinius Vic. Gener. Floren.

Impri-

Imprimatur. Die 2. Septemb. 1631

Frater Clemens Egidius Inquisitor Generalis Florentiæ.

Sebastianus Cellesius.